DE GRAECIS ILLUSTRIBUS LINGUAE GRAECAE LITERARUMQUE HUMANIORUM INSTAURATORIBUS,

EORUM

VITIS, SCRIPTIS, ET ELOGIIS

LIBRI DUO.

E Codd. potiſſimum MSS. aliiſque authenticis ejuſdem Aevi Monimentis deprompſit

HUMPHREDUS HODIUS, *S. T. P.*

Haud ita pridem Regius Profeſſor et Archidiaconus *OXON.*

PRAEMITTITUR

De VITA et SCRIPTIS ipſius HUMPHREDI

DISSERTATIO,

Auctore S. JEBB, *M. D.*

LONDINI,
Impenſis CAROLI DAVIS, Regiae Societatis Typographi; in vico vulgo dicto *Pater-noſter-Row.*
MDCCXLII.

ERUDITISSIMO VIRO,

Dom. Dom.

RICARDO MEAD,

ARCHIATRO REGIO,

S. P. D. SAM. JEBB.

TUI nominis patrocinium ambiunt, Vir Praeclarissime, praelectiones hae de Graecae linguae in Italia instauratoribus, quas ab eruditissimo viro Dom. Humphredo Hodio, Graecae linguae Professore Regio, Oxonii olim habitas, et ab ipso auctore prelo paratas, jam tandem publici juris facimus. Cum omnes pene liberaliores artes et

diſciplinae per ſexcentos fere annos intermortuae jacuiſſent, ex quo Graeci Saracenorum armis devicti Calabria et Apulia exciderant, et renaſcentibus in Italia Graecis litteris refloreſcere coeperint, nos nec inutile nec injucundum fore arbitrati fuimus, ut lucubrationes has ex obſcuritate in lucem proferremus, quae tam luculenter expoſuerint, quibus auctoribus, et quo ordine, hae litterae Europaeis fuerint reſtitutae, et priſca ſeculorum barbaries profligata. Eo vero magis labores noſtros tibi gratos eſſe futuros confidimus, quod ex mutata hac rei litterariae facie medicina etiam, quam tu tam feliciter exornas, Graecorum libris Latine redditis, mirum in modum fuerit exculta.

Per

Per longam annorum ſeriem ars haec nobiliſſima, et ſaluti hominum maxime neceſſaria, ex Arabum fonte derivata, elanguerat propemodum extincta; at poſtquam *apud nos proſtare coeperit Galenus a Linacro verſus*, qui Florentiae ſub Demetrio Chalcondyle linguae Graecae addiſcendae operam navaſſet, tum demum, * Eraſmo judice, *medicum fieri juvit*; Graecorum poſtquam ſcriptorum exemplaria in Europam advecta ſtudioſorum manibus verſarentur, medicina etiam paulatim veterem ſuum nitorem recuperare viſa eſt. Cum itaque linguae Graecae inſtauratoribus medicae artis conſervationem debeamus, ſub cujus praeſidio, Vir Praeſtantiſſime,

* In Epiſt.

hoc opus emitterem, potius quam tuo? Dum enim antiquorum ſcripta, unde artis tuae praecepta hauſeris, ab his conſervata fuerint, his etiam debemus, quod et tu, Vir Eruditiſſime, medendi peritia tam inſignis evaſeris. His igitur faveas, precor, propter eximia, quae in Europam advenientes ſecum advexerint, commoda; meis ſaltem, ut ſoles, faveas inceptis, cui nihil magis eſt in votis, quam ut omni ſemper officii genere beneficiorum, quae olim in me contuliſti, me non immemorem eſſe teſtarer.

Dabam Stratfordiae,
xvi Cal. Maii.

De Vita et Scriptis
HUMPHREDI HODII, *S.T.P.*
DISSERTATIO.

HUMPHREDUS Hodius, S. T. P. de quo scripturi sumus, natus erat Odcombiae in agro Sommersetensi, calendis Januariis, anno Christi 1659. Patrem habuit Ricardum Hodium, fratrem natu minorem Johannis Hodii Armigeri de Northover in eodem comitatu, et ecclesiae parochialis Odcombiensis rectorem.

Antecessit hunc sexto gradu Dom. Gulielmus Hodius, Eques, qui ab Henrico VII, [a] anno regni primo Attornatus sui Generalis factus, [b] sequenti anno Capitalis Baro de scaccario constitutus est; quam dignitatem ad annum usque tenens decimum tertium Henrici VIII, gravis annis, et tanto tunc oneri sustinendo impar, utpote octogenario major, [c] lubens resignavit.

[a] Ser. Chronic. ad finem Dugd. Orig. Jurid. p. 74.
[b] Pat. 2 Hen. VII. p. 1. m. 21.
[c] *Hall's Chronicle*, ad ann. 13 Hen. VIII.

Pater huic erat Dom. Johannes Hodius Eques, de Stawall in eadem provincia, juris ille patrii peritiſſimus, qui in eorum numerum adſcribi meruit, [d] recenſente Dom. Edvardo Cokio Milite, quorum ope in concinnandis Legis Angliae Inſtitutis uteretur Littletonus. In comitiis regni anno 9 Hen. V. et annis 1, 3, 6, et 15 Hen. VI. habitis in domum ſenatoriam aſcitus eſt, a Burgenſibus Shaftſburiae in provincia Dorſettenſi, ubi dives agris praedia ſatis ampla poſſidebat, primo electus, et poſtremo a Sommerſetenſibus ſuis *in pleno comitatu*. Ejuſdem regni anno decimo octavo [e] Capitalis Angliae Juſtitiarius conſtitutus eſt, et eodem anno CXL *marcas annuas ſibi* [f] *habuit* a Rege *conceſſas, ad ſtatum ſuum decentius manutenendum*.

His majoribus ortus Humphredus noſter, dum puerilem adhuc aetatem ageret, ad litterarum ſtudium diligenter animum applicuit. Anno 1676, Academiam petiit Oxonienſem diſcendi cauſa, & una cum duobus fratribus natu majoribus, Johanne & Ricardo, ſexto iduum Martii in Collegium Wadhamenſe admiſſus eſt. Anno 1682. Magiſter factus eſt in Artibus, et intra duos annos in ſocium Collegii

[d] *Preface to the firſt part of the Inſtitutes of the Laws of England*, f. 2.

[e] Plac. coram Rege T. Paſch. 18 Hen. VI. Rot. 1.

[f] Pat. 18 Hen. VI. p. 3. m. 5. Vid. Ser. Chron. ad fin. Dugd. Orig. Jurid. p. 62.

Wadha-

Wadhamenſis cooptatus, anno ſcilicet 1684. dum adoleſcens admodum eſſet, primitias ſtudiorum ſuorum publici juris fecit ſub forma [g] *Diſſertationis contra Hiſtoriam Ariſteae de LXX. Interpretibus.*

Juxta hanc hiſtoriam Ptolemaeus Philadelphus rex Aegypti, ſuadente Demetrio Phalereo, quem bibliothecae ſuae praefecerat, legatos miſit in Judaeam ad Eleazarum ſummum ſacerdotem, petentes ut ab ipſo mitterentur ſeniores in Aegyptum, qui legem Judaicam in uſum Regis Graece interpretarentur. Legationem obierunt, qui hanc hiſtoriam ſcripſiſſe dicitur Ariſteas, et Andreas regii corporis cuſtos. Munus autem hoc demandatum eſt ab Eleazaro Interpretibus LXXII. qui in Aegyptum profecti, et honorifice a Rege excepti, in Pharon inſulam fuerunt deducti, ubi intra dies LXXII. opus ſibi commiſſum perfecerunt. Convocatis vero Judaeis, quotquot Aegyptum incolerent, ipſiſque praeſentibus Interpretibus, perlecta eſt haec verſio a Demetrio, et ab omnibus una voce et conſenſu approbata.

Hiſtoriam LXX. Interpretum ab Ariſtea quodam, qui ex aulicis eſſet Ptolemaeo Philadelpho,

[h] Ed. Oxon. 1684. 8°.

fuisse conscriptam memoriae tradiderunt [h] Josephus, [i] Eusebius, Epiphanius, et alii. [k] Atque hinc duplex orta est de hac re controversia; primo, an eadem fuerit haec historia cum ea, qua usi fuerint Veteres; et secundo, an revera fuerit ab Aristea condita, vel potius ab aliquo recentiore conficta.

Eundem esse hunc librum cum eo, quo usi sunt Veteres, asserit Hodius, et sententiam suam ex eo [l] confirmat, quod exemplaria vulgata in omnibus probe consentiant cum fragmentis illis, quae ex historia Aristeae deprompserint olim Josephus et Eusebius; nam discrepet licet ab eo Codex Epiphanianus, non minus tamen diversus est a Codicibus Josephiano et Eusebiano.

Confictum vero fuisse a Judaeo quodam ad conciliandam auctoritatem versioni Graecae acriter contendit, pluribus ut ita censeret adductus argumentis, et primo, quod in hac fabula consarcinatori non bene divisa essent tempora. Ex Hermippi testimonio, apud [m] Diogenem Laertium prolato, patet Demetrium Phalereum in carcerem fuisse conjectum a Ptolemaeo Philadelpho post mortem Ptolemaei Lagi, ac dum dormiret, aspidis morsu periisse; [n] qua ratione ita-

[h] Joseph. Antiq. Jud. lib. xii. cap. 2.
[i] Euseb. de Praepar. Evangel. lib. viii. cap. 2. 9.
[k] Differt. Cap. 1. § 6. [l] Ibid. §. 10.
[m] In ejusdem Demetrii vita. [n] Differt. cap. 2. seq.

que

que vel bibliothecae regiae vel Interpretationis operi praefediffe potuerit? Praeterea, [o] cum ex Syncello, five Africano, conftet, Philadelphum non coepiffe Bibliothecam fuam inftruere ante Olympiadem CXXXII. et juxta Eufebium Eleazar Pontifex obierit anno fecundo Olympiadis CXXXI. annon merito dubitatur, utrum Eleazar Pontifex effet Judaeorum, cum Bibliotheca Alexandrina fuerit inftructa? His adde, quod Arifteas doceat verfionem fuiffe confectam, cum jam diu regnaffet Philadelphus, et tamen Menedemum Eretrienfem fcribat in aula regia tunc temporis fuiffe verfatum; Menedemum vero liqueat intra annos feptem ab obitu Ptolemaei Lagi in Macedonia obiiffe, et non verifimile videatur, eum unquam fuiffe in Aegypto commoratum, dum Philadelphus regnaret.

Secundo, aliud argumentum contra hanc Arifteae hiftoriam ex eo deducit [p] Hodius, quod Demetrium faciat Ptolemaei Regis bibliothecarium. Licet enim non affentiatur Wowerio, qui videtur exiftimaffe hoc munus indignum prorfus Philofophorum nomine, haud facile tamen credendum opinatur, talem tantumque virum, qualis Demetrius effet, quem conftat fuiffe et Legiflatorem illuftrem et Principem, aut

[o] Ibid. cap. 7. [p] Cap. 8.

hujuf-

hujusmodi munus in Aegypto esse accepturum, quod hominibus inferioris sortis, modo docti essent, demandari soleret, aut Ptolemaeum supplici illud Principi oblaturum. Ex auctoritate insuper Suidae ostendit, non Demetrium, sed Zenodotum Ephesium, Bibliothecae Alexandrinae praefuisse, dum Demetrius in aula Ptolemaei versaretur.

His adjungit et alia, ex variis hallucinationibus deprompta, quae in eadem reperiantur historia; inter quas praecipue enumeranda censet, [q] quae traduntur de navali victoria adversus Antigonum parta a Ptolemaeo Philadelpho; [r] de expeditione Ptolemaei Lagi in Syriam, qua centum millia Judaeorum captivos abduxisse dicitur in Aegyptum; et [s] de captivorum Judaeorum statu, eorumque manumissione; quibus etiam annectit [t] quaedam, quae aut minus essent verisimilia, aut sibimet ipsis contraria, aut inepta saltem, et Judaeum scriptorem omnino redolentia. His omnibus autem simul sumptis, et aequa lance libratis, abunde hinc patere [u] existimat, et commentitiam esse hanc historiam, & suppostitiam, et a Judaeo quodam confictam.

Emissa in lucem hac Dissertatione, miris eam laudibus excepere eruditi fere omnes, praeter

[q] Cap. 10. [r] Cap. 11. [s] Cap. 12. [t] Cap. 13, 14, &c. [u] Cap. 20.

unum

unum Isaacum Vossium. Quam grata fuerit Carolo Dufresnio, magno illi litteratae Galliae ornamento, videre est ex iis, quae in notis ejus proferuntur ad Chronicon Paschale, ab ipso editum anno 1688. Aegidius Menagius, alterum illud Galliae lumen, in posterioribus suis in Diogenem Laertium [a] adnotationibus et auctorem & opus vehementer commendat, auctorem *eruditissimum* esse et *doctissimum* saepissime praedicat, et de utrisque verba facturus, *Vir doctissimus*, [b] inquit, *idemque elegantissimus*, *Humfredus Hody in recondita illa sua contra historiam Aristeae de LXX. Interpretibus dissertatione*, &c. Quibus addamus licet gentis Hibernicae decus, Dom. Henricum Dodwellum, qui in dissertationibus suis in Irenaeum editis anno 1689. *Sic etiam*, [c] ait, *Eratosthenem a Ptolemaeo Philadelpho inde accitum monuit juvenis eruditus, et mihi amicissimus, Humfredus Hodius Wadhamensis:* In errorem etsi non levem hic inciderit vir doctissimus, cum non de Ptolemaeo Philadelpho Dodwellum [d] monuerit Hodius, quod is Eratosthenem acciverit, sed de Ptolemaeo Euergete.

Quid vero Vossius? Iniquissimo sane ferebat animo adolescentulum modo, qui ex ephebis vix excesserat, secum senescenti jam & rude donato contendere esse ausum. Anno 1680. in lu-

[a] Ed. an. 1692. [b] Pag. 211. [c] Pag. 507. [d] Differt. cap. 8. § 8.

cem

cem emisit Appendicem Observationum in Pomponium Melam, et ad finem adtexuit Responsionem Dissertationi huic, quam contra historiam Aristeae ediderat Hodius. In hac vero Responsione, praetermissis quamplurimis Hodii argumentis, caeterisque aut leviter tactis aut plane detortis, vix sibi temperat, quin erumpat in convitia, Hodium nostrum haud alio dignatus nomine quam *Juvenis Oxoniensis*. Interrogatus vero postea, cur in virum de re litteraria bene meritum tam inclementer se gesserat, respondit, Epistolam se quondam accepisse parum verecundam ab ignoto quodam Oxoniensi Latine conscriptam, quam suspicatus esset ab auctore hujusce Dissertationis fuisse profectam, et proinde acriori ipsum calamo perstrinxisse. Hujusmodi sane epistolam Vossio olim miserat Tho. Creechius, Wadhamensis, ob versionem Anglicam Lucretii poematum et mortem quam sibi conscivit infamem probe notus, inscio tamen Hodio, et procacitatem amici sui minime probante.

In praefatione hujus opusculi lectorem monuit Hodius, se alios tres libros de Textu Hebraeo et Graeca Bibliorum versione composuisse. In harum prima Graecae Versionis auctoritas ad examen revocatur, et in tempus, modum, et rationem eam conficiendi inquiritur; secunda continet Historiam Scholasticam Hebraici Textus,

tus, versionumque Graecae et Latinae vulgatae, et in hac ostenditur Codicem Hebraeum per omnia retro secula versioni LXX.virali fuisse praelatum; tertia agit de caeteris Graecis versionibus, Origenis Hexaplis, aliisque editionibus antiquis. Hos vero libros, una cum Dissertatione contra Historiam Aristeae annis conscripsit 1680, et 1681. dum Artium esset solummodo Baccalaureus.

In eadem praefatione loquitur de alio libro, quem similiter contexuerat, nominatque *Syntagma Historico-Chronologicum de Ptolemaeis Aegypti Regibus*, ad quem lectorem in Dissertatione saepiuscule amandat. Hunc autem scripsit, postquam Magistri gradum in Artibus adeptus esset, eo temporis intervallo, quod praecessit Dissertationis editioni. Hos vero omnes in animo habuit simul edere, sed aliorum studiorum curarumque subito distractus negotiis de sententia decessit, et librum primum solum, a caeteris avulsum iisque quasi praevium, in lucem emisit.

At, prodeunte tandem If. Vossii Responsione, spes erat, [e] ut ipse ait, se caeteros quoque intra annum unum aut alterum evulgatum iri, atque eodem tempore locum haud inopportunum argumentis Vossianis diluendis adinventurum.

[e] Praef. ad lib. de Bibliorum Textibus, &c.

Spe

Spe tamen excidit ſua, tamdiu ab his litteris ita penitus divulſus, ut ne ſchedas ſuas per multos annos quidem ſemel inſpexerit. Anno demum 1704. ad intermiſſa reverſus ſtudia, priores quatuor libros de Bibliorum Textibus Originalibus, Verſionibus Graecis et Latina vulgata, praemiſſa Ariſteae Hiſtoria Graece et Latine, ſumma cura recognitos perfecit, et ſequenti anno 1705. pluribus auctos atque emendatos typis Sheldonianis imprimi curavit.

In hac ſecunda Diſſertationis editione brevitatem ſtudens duo prima capitula in unum contraxit, demptis nonnullis, nonnullis etiam hinc inde additis. In caeteris nihil novi inſeruit. Annotationes adjecit, in quibus adverſarii ſui hallucinationes caſtigavit libere, at non faſtuoſe; errores redarguit, famam non laeſit.

Librum quintum vero, ſive *Syntagma Hiſtorico-Chronologicum de Ptolemaeis*, ita conſtituit ſecundis curis augere ac ampliare, ut prodiret tandem Theſaurus Antiquitatum *Alexandrinarum*, cum Civilium, tum Eccleſiaſticarum. At hoc opus, vel ab ipſo ad finem nunquam erat perductum, aut ſaltem nunquam editum.

Anno MDCLXXXIX. cum jam S. S. Theologiae Baccaulaureus eſſet, ſcripſit Hodius Prolegomena,

mena, quae praefiguntur Hiſtoriae Chronicae Johannis Antiocheni cognomento Malalae, ex MS. Codice Bibliothecae Bodleianae tunc primum editae, cum interpretatione et notis Edm. Chilmeadi.

Excerpta quaedam ex hac Hiſtoria collecta prelo paraverat olim [a]Joannes Gregorius, Aedis Chriſti ſacellanus, adjectis quibuſdam ab ipſo conſcriptis animadverſionibus. Gregorio autem morte erepto anno MDCXLVI. diligentiam ſuam et ſtudium in hunc auctorem impendit ejuſdem ſodalis et ſymmyſta Edm. Chilmeadus, in animo habens Gregorii animadverſiones, loco Prolegomenων, editioni ſuae praemittere. Moriente vero Chilmeado anno MDCLIII. annus pluſquam XXXVII. elapſus eſt, priuſquam opus ab ipſo adornatum prelo committeretur. Cum vero magna pars operis jam typis fuiſſet abſoluta, et [b] Gregorii animadverſiones minus idoneae viſae eſſent, quae praemitterentur, ad Hodium noſtrum applicuerunt ſe rei typographicae Oxonienſis Curatores, rogaruntque ut hanc provinciam in ſe ſuſciperet, qui illorum hortatui cedens, nova haec Prolegomena procudit.

In his mentionem facit Hodius duorum aliorum librorum, quos compoſuerat, quorum [c] al-

[a] Hodii Proleg. § 42, 43.

[b] Ibid. & Athen. Oxon. Vol. II. p. 51.

terum

terum nominat *Diatriben de Scriptoribus Græcis variis tum prophanis tum ecclesiasticis*, [d] alterum *de Scriptoribus rerum Ægyptiarum.* Posterius hoc opus in quatuor libros divisit, "in quorum "primo agebatur de Scriptoribus rerum Histo-"ricarum illius gentis vetustiorum; in secundo "de illis, qui res illorum Theologicas, sive "Philosophicas, Visendas, Naturales et Arti-"ficiales, scriptis suis ex professo celebrarant; "in tertio de Scriptoribus rerum Alexandrina-"rum sive Ptolemaicarum; et in quarto de "Scriptoribus rerum illius gentis ad Judaeos, "Christianos, et Mahumedanos attinentium." Haec autem nondum in lucem edita.

Anno MDCXCI. emisit Hodius [e] Anglicam primo versionem tractatus Graeci, quem ex codice quodam manuscripto in scriniis Baroccianis Bibliothecae Bodleianae asservato eruisset, et postea [f] tractatum ipsum cum Latina versione, cui titulum fecit, *Anglicani novi schismatis Redar-*

[c] § 24, 32. [d] § 34.

[e] *The Unreasonableness of a Separation from the new Bishops, or, A Treatise out of Ecclesiastical History, shewing, that altho' a Bishop was unjustly deprived, neither he nor the Church ever made a Separation, if the Successor was not a Heretick. Translated out of an antient Greek Manuscript in the public Library at Oxford, by* H. Hody, B. D. Lond. 1691.

[f] Oxon. e Theatro Sheldoniano, An. Dom. 1691.

gutio,

gutio, seu Tractatus ex Historiis Ecclesiasticis, quo ostenditur Episcopos, injuste licet depositos, Orthodoxi successoris communionem nunquam refugisse. Ad eundem etiam scopum spectantia, alia quaedam praemisit, ex Antiquorum Thesauris deprompta, charitatis, ut ipse ait, in Ecclesiam vere Episcopalis exempla. Ut hanc rem dilucidius explicemus, necesse erit eam paulo altius repetere.

Cum jam Jacobum II. regno expulissent Proceres Populusque Anglicanus, et Gulielmum et Mariam Aurantiae Principes ad regiam dignitatem promovissent, a senatu decretum editur, ut quicunque sacramento se obstringere recusarent ad fidem novis regibus praestandam, officio pellerentur. Elapso tempore, nec praestito jurejurando, Gulielmus Sancroftus Archiepiscopus Cantuariensis cum septem e Collegis suis, exclusi a sedibus, ipsa tandem privantur cura animarum. Secundi episcopi constituuntur, prioribus adhuc viventibus, et in eorum cathedras potestate Laica subrogantur, priusquam Canonice vacarent. Hinc conventus divini cultus gratia alii a publicis, et altaria altaribus adversa.

Potestates Civilis et Ecclesiastica, inquiebant hi, natura sua penitus discrepantes, nec misceri unquam possunt nec confundi. Ecclesia est so-

cietas vere et proprie dicta, ab omnibus mundi societatibus distincta, atque ita a fundatore suo Jesu Christo constituta, ut variis sit instructa ordinibus, officiis, ministeriis. Humano eam corpori confert D. Paulus, *Sicut enim*, [a] ait, *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent*; *ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Atque alibi, [b] *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores.* Corporis hujus Christus est caput, huic societati praeest; Apostoli vero, eorumque successores Episcopi, a Christo missi, Christique vicem gerentes in terris, vicariam potestatem, quam in ecclesia exercent, soli Christo referunt acceptam. *Sicut misit me Pater*, inquit Christus [c] apostolis suis, *et ego mitto vos. Quorum remiseritis peccata, remittuntur*; *et quorum retinueritis, retenta sunt.* Seculari magistratui, qua in rebus civilibus praeest, nullum jus competit vel exercendi hanc potestatem, vel Ecclesiae praepositis detrahendi. Cum enim a Christo unice sit derivata, et Ecclesiae praepositis concredita, solis Episcopis, qui Ecclesiae praesunt, potest competere. Licet itaque Sancroftus archiepiscopus, et Collegae, a potestate Laica summoverentur, cum tamen nondum essent exuti ea spiritu-

[a] Rom. xii. 4, 5. [b] 1 Cor. xii. 28. [c] Joh. xx. 21. 23.

ali poteſtate, neque iis juribus privati, quae Chriſtus conceſſerat, quaeque hac ipſa ratione conceſſerat, ut integra maneret eccleſia ſua, licet a poteſtatibus hujus mundi vexata fuerit et oppreſſa, conſequetur, fidem etiam et obſequium prius debita neque illis jure negari potuiſſe, nec ſucceſſoribus adhiberi, qui pro aevi Cyprianici doctrina non ſecundi erant, ſed nulli, ab unitate Catholica, a Chriſto ipſo, a beneficiis, quae in Eccleſiam Chriſtus contulerat, alieni.

Quid contra Hodius? Anne magiſtratum ſecularem poteſtatem habere deponendi epiſcopos affirmaverit? non hoc jam ſibi ſumit. Quid ergo? Epiſcopos licet injuſte fuiſſe depoſitos concedatur, ait, ſucceſſores licet eorum ad epiſcopale ſolium contra canones fuerint evecti, hac tamen de cauſa nulla ſequi debuit diviſio; ab exemplis etenim, quae in Barocciano hoc tractatu proferuntur, abunde ſibi patere exiſtimat, neminem eorum, qui contra jus faſque fuerint a ſedibus ſuis olim depulſi, ſe ſeparaviſſe unquam a ſucceſſoris communione, modo is orthodoxus fuerit, qui in illius locum ſubrogatus eſt.

Auctorem tractatus ſuſpicatur Hodius fuiſſe Nicephorum Calliſti Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptorem, cum in eodem MS. Volumine Baroccicano reperiantur Collectanea aliquot Hiſtorica et Tractatus Nicephoro diſertim aſcripta. Conve-

nit etiam et auctoris aetas et patria. Floruit enim Nicephorus exeunte demum feculo XIII. five inchoato XIV. et iifdem circiter temporibus inclaruiffe auctorem hujus Tractatus ex eo credendum eft, quod nullum proferat exemplum poft exitum feculi XII. Uterque etiam vixit fub ditione Patriarchatus Conftantinopolitani. Tractatus autem ipfe juxta Hodium aut loco Homiliae in coetu Epifcoporum prolatus eft, vel faltem ab aliquo Profeffore in Hiftorices fchola praelectus.

Inter feptem Adverfarios, quos hic Tractatus contra Hodium fufcitavit, praecipue eminuit eruditiffimus Dom. Henr. Dodwellus, ipfi olim amicitia arctiffima conjunctus, qui caufae depofitorum epifcoporum patrocinatus[a] refponfionem fuam Anglice edidit anno MDCXCII. In hac vero oftendit primo Dodwellus, exempla, quae in Barocciano Tractatu exhibentur, modo appofite fuiffent adducta, ad ftabiliendam tamen caufam, quam fibi defendendam fufceperat Hodius, non valitura; auctoris ipfius teftimonium, qui vixit circa finem feculi XIII. in difceptatione hujufmodi parvi effe aeftimandum; exempla autem ab ipfo allata nimis effe recentia, quippe quae feculum vix IV. attingant, ultra non afcendant;

[a] *A Vindication of the Depriv'd Bifhops*, &c. Lond. 1692. 4to.

vitam

vitam esse exigendam juxta fidei et morum regulas, non ex aliorum instituto; nec exempla esse imitanda, nisi sacrarum scripturarum doctrinae et inveteratis Ecclesiae dogmatibus fuerint consentanea; si ad hanc normam res exigatur, actum esse de Hodii causa; Novatianum primum fuisse, quem novimus, qui invasit episcopatum alterius; hunc autem ob hanc rationem Pseudo-episcopum esse habitum, profanum et extraneum, a promissis Ecclesiae separatum; eos etiam, qui Novatiano se adjunxerant, etsi Episcopi prius facti essent, cum ab Ecclesiae vinculo atque a sacerdotum collegio se separassent, nec Episcopi potestatem potuisse habere creditos, nec honorem. Pergit Dodwellus, et novos Episcopos eorumque asseclas haereticae pravitatis incusat, quod jus exuendi Episcopos spirituali officio Principibus competere docerent. Hanc propositionem errorem fundamentalem appellat, cum necessario tendat ad eversionem Ecclesiae. Nam si jus gubernandi Ecclesiam penderet ab arbitrio secularis Magistratus, qua ratione subsistere potuit Ecclesia, quatenus est societas, saeviente persecutione?

At secundo contendit Dodwellus exempla, quae in hoc Tractatu proferuntur, a re controversa prorsus esse aliena. Non enim de depositione hic agitur injusta, sed invalida. In prolatis autem omnibus exemplis Episcopi de sede de-

pulsi, non ad arbitrium Principis, sed aut a coepiscopis in synodo congregatis fuerunt depositi, aut ob promulgatam haeresin dejecti, aut lubentes de cathedra descenderunt, aut denique Episcopatum se adhuc tenere asserentes, et plebi suae adunati, coetus a publicis diversos constituerunt. His subjungit Dodwellus Canones quosdam ex Canonibus Apostolorum dictis et Conciliis Gangrensi, Antiocheno, Carthaginensi et Constantinopolitano deprompros, qui in eodem Volumine MS. reperiuntur huic Tractatui annexi, ab ipso etiam Tractatus auctore pro Dodwelli sententia adjuncti, licet ab Hodio nostro omissi, quibus decretum est, ut Presbyter vel Diaconus, qui a communione Episcopi sui ante synodicam dijudicationem se separaverit, sacerdotali exueretur honore; Presbyteri vero eidem adhaerentes de eodem honore dejicerentur, et Laici segregarentur; Episcopus autem, qui a communione Metropolitani sui seipsum separaverat ante synodicam condemnationem, deponeretur. Unde concludit Dodwellus, quod etiam ex mente auctoris hujusce Tractatus Hodii et novorum Episcoporum causa non esset vindicanda.

Hodium malae fidei non disertim incusat Dodwellus, quod hos Canones omiserit, licet eos ad hunc Tractatum pertinere existimaverit. Sed

cum

cum hoc crimen ab aliis quibusdam, qui in eadem palaestra desudarunt, ipsi objectum fuerat, eodem anno MDCXCII. Epistolam ad Amicum conscripsit Hodius, [b] quae Anglice prodiit, ut seipsum ab hac calumnia purgaret.

Sequenti autem anno, scilicet MDCXCIII. [c] quo gradu doctorali in Theologia honestatus est, ad ea convellenda se accinxit [d] Hodius, quae adversus Baroccianum Tractatum in medium protulerant Dodwellus caeterique ejusdem adversarii. In limine autem disceptationis suae, nihil aliud iis esse praestandum observat, qui noviter constitutis Episcopis adhaerendum esse censeant, nisi ut vel primo evincant, Secularem magistratum jus habere deponendi Episcopum ob crimina pure politica, vel secundo, ut ostendant, etsi jus deponendi non habeat, si tamen revera Episcopum alium deposuerit, atque alterum Orthodoxum et pium in illius locum subrogaverit, licitum esse tamen cum secundo communionem tenere ob Ecclesiae pacem et populi tranquillitatem. Propositionem primam se peculiari dissertatione confirmaturum scribit, quae tamen

[b] *A Letter to a Friend concerning a Collection of Canons said to be deceitfully omitted in the Edition of the* Oxford *Treatise against Schism.* Oxon. 1692.

[c] XVIII Cal. Feb. MDCXCIII.

[d] *The Case of Sees vacant by an unjust and uncanonical Deprivation stated,* &c. by H. Hody, D. D. Lond. 1693 4^to^.

nusquam comparuit; secundam a Barocciano Tractatu pro ipsius sententia satis superque comprobatam jam dilucidius explicandam resumpsit. Hoc autem ut fieret, non rationi sed exemplis insistendum ratus, historiam contexuit Episcoporum a sedibus suis depulsorum per diversa secula decurrentem, exinde monstraturus, eos omnes, quotquot vel injuste, vel, ut ipse ait, invalide, fuerint depositi a potestate, quae *resisti* non potuit, a communione successorum suorum ob hanc causam nunquam declinasse. Atque ut arctam etiam in hac re concordiam intercedere ostenderet inter Synagogam et Ecclesiam, quaedam praemisit ex Historia Judaica desumpta, ut probaret Judaeorum etiam Pontifices, qui in locum aliorum subrogati fuerant a Magistratu seculari depositorum, pro veris Pontificibus semper fuisse habitos.

Cum vero argumenta, quae in hoc Tractatu instituerit Hodius, ab exemplis sequioris aevi deducta, prius obruta fuissent, nec rationes aliquas praeter jam eversas, si excerpta ex Historia Judaica excipiantur, ad thesim suam confirmandam protulisset, hic modum finemque concertationi huic statuere, et libera lectoribus judicia relinquere, in animum [e] Dodwellus induxerat; at

[e] *Defence of the Vindication*, &c. p. 2, 3.

tandem

tandem a litteris, quas ipſe Hodius ſibi miſerat parum benevole, [f] ut aiunt, conſcriptas, excitatus, et a Gilberto Burnetto Epiſcopo Sariſburienſi in certamen publice [g] provocatus, ne afflictae Eccleſiae cauſae deeſſe videretur, in arma iterum convolavit, atque eorum omnium quae prius ſcripſerat defenſionem contra Hodium in ſe ſuſcepit. Dum vero opus ſuum ſub prelo adhuc ſudaret, inquiſitione facta a lictoribus regiis, ea pars, quae e prelo exierat, ab iiſdem occupata fuit et ſuppreſſa. Cujus rei cum fama ad Hodii noſtri aures perveniſſet, qui in epiſtola ſuperius memorata imprimendi licentiam Dodwello promiſerat, ad palatium Lambethanum ſtatim ſe contulit, ibique precibus inſtitit apud Archiepiſcopum Cantuarienſem, ut auctori ſuo reddita evulgari permitteretur; irrito tamen conatu, cum editae in Recuſantes durae leges, ne dogmata ſua promulgarent, ſevero edicto prohibuiſſent. Progreſſu autem temporis effectum eſt, ut non obſtante hac prohibitione, cum hoc opus denuo prelo committeretur, e manibus lictorum ſervatum anno MDCXCV. in lucem prodierit.

Sub eadem tempeſtate prodierunt etiam [h] Collectanea Hiſtorica de rebus Eccleſiaſticis, a Simone

[f] *Pref. to the Hiſtorical Collections*, &c. p. 1.
[g] *The Biſhop of* Sarum'*s Vindication*, &c. p. 52. 146.
[h] *Hiſtorical Collections concerning Church Affairs*, &c. *by a Preſbyter of the Church of* England. Lond. 1696. 4to.

Lowthio

Lowthio Decano nuper Roffensi excerpta, ut ex antiquis Ecclesiae monumentis contra Hodium ostenderet, jus exuendi Episcopos auctoritate sua pure spirituali, regnantibus Constantino Magno et Constantio, primis qui fidem Christi amplexi essent Imperatoribus, ad solos Episcopos pertinere creditum; neque ex Catholicorum istius aevi Christianorum sententia, hujus mundi principibus in Laicorum ordine constitutis, potestate licet munitis, quae *resisti* non potuit, modo de Episcoporum juribus decernere in se susceperant, obedientiam fuisse praestandam.

Contra hos tractatus conscripsit quaedam ediditque [i] Hodius, anno MDCXCVIII. breviter autem et perfunctorie, quibus tamen fusius respondit [k] Lowthius anno MDCCIV.

Hodio tamen haud prorsus infeliciter cessit haec disceptatio; adeo gratum enim erat opus, quod fecerat, Dom. Joanni Tillotsono, Archiepiscopo Cantuariensi, qui in Sancrofti locum substitutus fuerat, ut in mercedem laborum, quos

[i] *Reflexions on a Pamphlet entituled, Remarks on the Occasional Paper, numb* VIII, *relating to the Controversy betwixt Dr.* Hody *and Mr.* Dodwell; *and on another entitled, A Vindication of the Deprived Bishops, written by Mr.* Dodwell; *with an Answer to a third, called Historical Collections concerning Church Affairs.* Lond. 1698. 4to. Agnoscit Hodius in chartis suis manuscriptis has Reflexiones a seipso fuisse conscriptas.

[k] ΕΚΛΟΓΑΙ, *or Excerpts from the Ecclesiastical History,* &c. Lond. 1704. 4to.

in

in hac Hiſtoria contexenda ſuſtinuerat, ipſum ſacellanum ſuum conſtituerit VII. Calend. Jun. anno MDCXCIV. Dum vero hoc munere fungeretur, [1] diſſertationem *de Reſurrectione ejuſdem corporis* publici juris fecit, quae poſtea Latine converſa eſt a Cantabrigienſi quodam in Collegio Corporis Chriſti enutrito. Hanc diſſertationem dicavit Hodius Dom. Edv. Stillingfleeto Epiſcopo Vigornienſi, cui prius fuerat a ſacellis ab anno uſque MDCXC. quo filium ſuum in Collegio Wadhamenſi educandum locaverat, atque Hodio noſtro et eruditiſſimo viro Dom. Ricardo Bentleio, digniſſimo jam Collegii SS. Trinitatis apud Cantabrigienſes praefecto, erudiendum commiſerat.

Morte autem erepto Tillotſono x. Calend. Decemb. ejuſdem anni, et ad Archiepiſcopatum evecto Tho. Teniſono, eodem officio fruebatur ſub ſucceſſore Hodius, quo functus eſſet apud ipſum Tillotſonum, primus omnium quotquot novimus, qui duobus ſuccedentibus Archiepiſcopis a ſacris fuerat domeſticis. A novo autem Patrono ſuo brevi nominatus eſt ad Eccleſiam Parochialem de Chartham prope Cantuariam, ad praeſentationem Archiepiſcopi ſpectantem, et

[1] *The Reſurrection of the ſame Body aſſerted*, &c. by H. Hody, D.D. Lond. 1694. 8vo.

vacantem

vacantem per mortem Dom. Hen. Whartoni, Gul. Sancrofto Archiepiscopo olim a sacellis, et ob editam *Angliam Sacram* satis clari; prius vero quam huic institutus fuerat, permutatione inter ipsum facta et Praebendarium quendam Cantuariensem, ad ecclesiam intra civitatem Londinensem jacentem praesentatus est, quam vocant *Paroeciarum S. Michaelis de Pater Noster in Riola, et S. Martini in Vinetaria, unitarum.*

Circa idem tempus litteras accepit Hodius ab eruditissimo viro Dom. Andrea Adamo Hochstettero, Ecclesiae Tubingensis Archidiacono, quem sibi amicissimum habuerat, dum olim Oxonii degeret; quae cum aestimationem, quam apud exteras gentes noster tenuit, abunde satis testantur, haud abs re fore judicavi, ut eas hic loci insererem.

" Vir clarissime, Domine et Amice plurimum
" honorande.

" QUOTIES non Aristaeam modo de-
" victum abs te prostratumque, et Malelam
" tua nuper opera in lucem datum adspicio,
" sed et ingentem in me adfectum tuum, qui
" patriae prope me invidens meae Oxoniensem
" aliquando optabas, recogito revolvoque apud
" animum meum, toties exulto prorsus, atque

" ad

" ad toto divisos orbe Britannos cogitatione de-
" sideriisque excurro. Quare quum amoris ea
" consuetudo ratioque sit, ut premere silentium
" diu haud queat, aegre utique non feres, mi
" bone, quod redux in Patriam redire tamen ad
" amicum veterem, cultumque eidem atque
" adfectum antiquum testari, gestio conorque.
" Primum ergo omni te animi contentione oro
" obtestorque, sine mora ut exponas qui valeas?
" Demum quo nunc in loco sint res nostrae
" breviter expono. Postquam divino beneficio
" ad penates redii meos, interjecto brevi tem-
" poris spatio ad Tubingensis ejusque patriae et
" Cathedralis Ecclesiae Ministerium, mox et ad
" Archidiaconatum in eadem administrandum,
" admotus fui, quo quidem munere in hunc
" usque diem pro virili defungor, gravi sane illo
" atque non una de caussa arduo. Unde quum
" juvenilem vix aetatem egressus sacro me plane
" ministerio dicare jussus fuerim, parum hacte-
" nus, quod recenseri inter eruditos aut aestima-
" ri mereatur, vel imaginari potuimus: Neque
" enim referendi huc sermones in Psal. xxvii.
" Rom. viii. 28. Matt. xxv. habiti, atque ad
" amicorum desideria evulgati. De Hebraeorum
" Primitiis Commentariolus cum Codicis Tal-
" mudici בכורים tralatione, itemque de an-
" nuo Expiationis Festo Tractatus, lucem spe-
" ro

" ro publicam propediem videbunt. Sed et ve-
" nerandi Stillingfleeti veſtri (quem compellare
" in Weſtmonaſterio olim licuit) Epiſtolam *to a*
" *Deiſt concerning the Truth and Authority of*
" *the holy Scriptures* horis ſubciſivis in Latinum
" converti ſermonem, et Ulmae Suevonum im-
" primi curavi. Quae omnia, commoda data
" occaſione, per amicum (forſan et fratrem) ad
" vos profecturum, aut Bibliopolam Amſtelo-
" damenſem H. Wetſtenium ſubmittam, neque
" tu, credo, ſpernes qualeſcunque iſtos labores
" noſtros. Q. S. F. Tertulliani Apologeticum
" pro Chriſtianis recenſere in animum induxi:
" ſed praeter unius Codicis MS. copiam vix
" quidquam ſuppetit. Unde te oro rogoque
" ſummopere, ut ſi quid Bodleiana veſtra aut
" alia quaepiam Bibliotheca ſubeat, excerpas in
" amici gratiam, qui inter Germanos publice
" depraedicabit nomen tuum famamque, nec
" tacebit per quem profecerit.

" Sed et clariſſimus eruditiſſimuſque vir Jo.
" Ulricus Meurerus, quicum amiciſſime con-
" verſor, habet quod abs te petat. Edere is
" decrevit Val. Flaccum, mireque jam hunc au-
" ctorem excoluit atque illuſtravit. Neque quid-
" quam ad perfectionem egregii operis eidem
" deeſt, praeter varias, quae e Bodleiano excer-

" pi

" pi debent Codice ab Jo. Fr. Gronovio in No-
" tis ad Livium allegato lectiones. Quaeso te,
" mi optime, memor ut sis antiquissimi illius tui,
" Τὸν φιλέοντα φιλεῖν· Ama hunc virum, qui te
" amat et aestimat, hocque quidquid est laboris
" in ejusdem Reiq. P. Literariae gratiam im-
" pende, atque isto lectionum thesauro prope-
" diem illum bea recreaque. Ita novo me
" quoque vinculo tibi devincies, omnibusque
" numeris adimplesse te vota testabere, quibus
" finem Joanni tuo Antiocheno imposuisti. De-
" nique vel duabus significa quid venustis. Ben-
" tleius? Quid Photii Lexicon ab ipso excul-
" tum? Quid Millius? Quid Bernardus, item-
" que Isaacus Abendana Judaeus?

" Vale, et quod facturum te promisisti, a-
" mare me ne quaeso desine,

" Tuum, vir clarissime,
" omni officio atque cultu

" Andream Adamum Hochstetterum,
" Ecclesiae Tubingensis Archidiaconum.

" P. S. Quid circa Tertulliani de Pallio librum
" statuerit apud se, rogetque Cl. Meurerus,
" ex ejusdem literis amplius percipies."

Tubingae XXII. VIIbris,
CIƆDCXCIV.

Eodem

Eodem tempore redditae ſunt ipſi litterae a Cl. viro Jo. Ulrico Meurero, petentes ut collatis MSS. Codicibus Valerii Flacci Poetae, et Q. Sept. Tertulliani de Pallio, qui in bibliotheca extarent Bodleiana, varias lectiones exinde erutas enotaret, ſibique transferri curaret.

Anno MDCXCVI. juſſu Tho. Teniſoni Archiepiſcopi Cantuarienſis conſcripſit Hodius [n]Animadverſiones in libellos duos Apologeticos Jeremiae Collieri, quos ad vindicandam abſolutionem ediderat vir clariſſimus, quam Gul. Perkinſio equiti aurato impertitus eſſet, priuſquam extremo ſupplicio afficeretur. Inita nempe ſub exitum anni MDCXCV. contra Gulielmum Regem conjuratione et detecta, Gul. Perkinſius et Johannes Friendius equites rei convicti ad poenam legibus Angliae conjurantibus infligi ſolitam damnati ſunt. Cum vero ad ſupplicium ducti eſſent, aſſiſtentes Clerici juxta formulam in Eccleſia uſurpari ſolitam abſolverunt eos ab omnibus peccatis ſuis, impoſita etiam eis inter abſolvendum manu, licet ſe ſupplicii cauſam ex animo deteſtatos eſſe per poenitentiam non oſtenderint.

[n] *Animadverſions on two Pamphlets lately publiſhed by Mr.* Collier, *the one called A Defence of the Abſolution given to Sir* William Perkins *at the Place of Execution; the other, A Vindication thereof, occaſioned by a Paper entitled, A Declaration of the Senſe of the Archbiſhops and Biſhops,* &c.

Hi

Hi fuerunt Gul. Snattus, Shadr. Cokius, et Jeremias Collierus, e Recusantium numero omnes, qui fidem Gulielmo jurejurando praestare negarunt. Ob hoc facinus Snatto et Cokio in carcerem conjectis, Collierus latendo salutem sibi quaesivit. Et cum haec res pluribus esset in offensa, defensionem sui edidit Collierus, quam brevi consecuta est Declaratio ab Archiepiscopis et Episcopis promulgata, quotquot Londini essent commorantes, qua dictam absolutionem improbarunt, eamque tanquam insolentem et irregularem multis verbis exagitarunt. Respondit huic Declarationi Collierus, et rationibus et exemplis quae fecerat confirmans. His autem scriptis Apologeticis, jubente Archiepiscopo, plurima regessit Hodius; quae tamen responsione sua copiosius refutavit Collierus.

Pridie nonas Martias MDCXCVIII. constitutus est Hodius Graecae linguae Professor Regius in Academia Oxoniensi, subrogatus in locum Dom. Gul Levinzii, Collegii S. Johannis nuper Praesidis, defuncti. Dum hoc munus sustineret, Praelectiones composuit *de Graecis illustribus, Linguae Graecae literarumque humaniorum instauratoribus*, quas nunc publici juris faeimus, gratum fore existimantes eruditis omnibus, ne eo-

rum perirent nomina, per quos profecerint. Hoc opus divisit Hodius in libros duos, quorum altero agit *de Graecis eruditis, qui ante excidium Constantinopolis lingua Graeca et literatura humaniore Italiam illustrare coeperunt*, altero *de Graecis literatis, qui in Italiam aliasque regiones occidentales concessere post urbem Constantinopolim a Turcis captam*, ipsumque prelo paratum in lucem edere instituerat, ni vitam cum morte commutasset.

Anno proxime futuro, Waldensibus religionis ergo patria sua exulantibus, et subsidiis nummariis in eorum sustentationem collectis, tum in aliis regionibus, tum in Anglia, inter Curatores, qui huic rei praeesse delegati sunt, Brevi Regio nominatus est Hodius. Summa autem quae ex hac occasione collata est, confecit libras sterlingas viginti quinque millia monetae Anglicanae.

Sub eodem tempore Dom. Nicolaus Bearius, A. M. Presbyter Devoniensis Londini degens, conscripsit librum contra Hodii nostri Dissertationem de ejusdem corporis resurrectione, cui titulum apposuit,[o] *Justitia resurrectionis fundamentum*. Cum homo, dum vivat, ex utriusque substantiae concretione constet, corporis et animae, et vita

[o] *The Resurrection founded on Justice, or a Vindication of this great standing Reason assign'd by the Ancients and Moderns, wherein the Objections of the learned Dr.* Hody *against it are answered,* &c. by N. B. M. A. Lond. 1699.

sit

ſit cauſa futuri judicii, exinde argumentum deducunt [p] Tertullianus et alii, carnem reſurrecturam fore, juſtitia divina ita exigente, ut quae particeps fuerat in vitae adminiſtratione, particeps etiam foret in vitae remuneratione. Hoc autem argumentum cum non probaret Hodius, tres [q] adduxerat rationes, cur illud minus valere cenſeret; primo, quia caro, inquit, proprie ſumpta nec peccare poteſt, nec bene facere; inſtrumentum eſt enim animae ſolum; neque brachium, quod occidit, in culpa eſt magis, quam gladius, cum utraque dirigantur ab anima; ſecundo, neque praemii nec ſupplicii capax eſt caro; anima ſola eſt ſenſu praedita; et quod ſenſu caret, neque praemio tenebitur, nec ſupplicio; tertio, ſi juſtitia Dei exigat, ut caro, quae conjuncta fuerat animae cum peccaverit, particeps foret ſupplicii, exigeret etiam, ut omnes particulae carnis, quae unquam fuiſſent animae peccatrici conjunctae, cum peccaverit, ejuſdem etiam ſupplicii forent participes: atqui hac ratione omnes particulae carnis, quotquot unquam fuiſſent animae conjunctae, neceſſario reſurgerent, atque animae iterum conjunctae unum quoddam corpus conſtituerent; quod videretur abſurdum. Cum vero

[p] De Reſurrectione carnis, cap. 14, et 15.

[q] *Reſurrection of the ſame Body aſſerted*, &c. p. 210.

in eam ſententiam adduci non potuit Bearius, ut argumentum a Tertulliano prolatum his rationibus labefactatum exiſtimaret, ne alii auctoritate Hodii abducti de veritate deflecterent, has ſibi evertendas propoſuit.

In hac autem controverſia ſuſtinenda adeo prorſus ab omni convitio abſtinuit Bearius, tantamque eruditioni ſuae conjunxit comitatem, ut Hodium hoc officio ſibi plane devinctum habuerit. Librum e prelo exeuntem ad Hodium miſit, atque una litteras in ſui excuſationem ſcriptas, quod cum tanto viro contendere eſſet auſus, cujus opinioni adverſari haud facile in animum induxit, et cui nihil niſi veritatem praepoſiturum ſe fore teſtatus eſt. Reſcripſit Hodius, gratiaſque ei egit ob humanitatem, qua ipſum proſecutus fuerat, et licet argumenta, quae in Diſſertatione ſua protulerat, ab illo non fuiſſe improbata cenſeret, tamen ita ab omni contentione ſe abhorruiſſe dixit, ut in certamen amplius cum eo deſcendere noluerit, at liberum omnibus relinquere, quibuſcunque modis vellent et ratiociniis, doctrinam de reſurrectione ſtabilire, quam ſibi plurimum eſſe cordi addidit.

Sub exitum hujus anni, Epiſcopo Menevenſi, qui ob ſimoniae crimen officio ſuo privatus fuerat ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, provocante

ad

ad Proceres contra jurisdictionem Archiepiscopi, defensionem sui Hodio nostro commisit Archiepiscopus, qui brevi conscripsit apologiam, qua potestatem judicandi in hujusmodi causis Archiepiscopo plenarie convenire demonstravit. Hanc Archiepiscopo tradidit, ut ederetur; at, consopita lite, non prodiit.

Sequenti anno, mota de juribus et privilegiis synodi Anglicanae disceptatione, cum observasset Hodius, neminem eorum, qui huic controversiae se immiscuissent, in usum suum traxisse Acta et Instrumenta publica, quae in Archivis Lambethanis asservarentur, plurimam licet huic rei lucem allatura, in rem fore judicavit ex his potissimum Historiam condere Conciliorum et Synodorum Anglicanorum, atque una Historiam Parliamentorum et legum Angliae antiquiorum litteris mandare. Hoc autem opus composuit intra spatium paucarum mensium, [r] ediditque circa initium Februarii anno MDCCI. Eodemque anno stabilita societate de propaganda fide in partibus transmarinis, in sociorum numerum litteris Regiis Patentibus constitutorum ascitus est.

[r] *A History of* English *Councils and Convocations, and of the Clergy's sitting in Parliament, in which is also comprehended the History of Parliaments, with an Account of our ancient Laws*, by H. Hody D. D. &c. Lond. 1701. 8^vo^.

Anno

Anno MDCCIV. ut fupra monuimus, quae prius fcripferat de Bibliorum textibus originalibus, Verfionibus Graecis, et Latina vulgata, ad examen revocavit, et emifit, eodem anno constitutus Archidiaconus Oxonienfis, in locum Timothei Haltoni demortui; quam dignitatem ad ultimum vitae diem retinens, obiit XIII. Calend. Febr. anno MDCCVI.

Sepultus jacet Oxonii in capella Collegii Wadhamenfis, fepulchro hac infcriptione decorato;

Hic jacet
Humphridus Hody S. T. P.
Graecae linguae Profeffor Regius,
Archidiaconus Oxon.
Reverendiffimis Dominis
D. Johanni Tillotfon et
D. Thomae Tenifon
a facris domefticis, et
hujus Collegii quondam focius,
Qui obiit
Jan. 20. A.D. 1706.
Edith uxor obiit Nov. 28. 1736.

Stipendia ad valorem decem librarum annuatim perfolvenda dedit decem fcholaribus in Collegio Wadhamenfi educandis, quorum quinque ad

ad ſtudium linguae Hebraicae animum erant applicaturi, quinque linguae Graecae addiſcendae operam daturi. Horum delectum commiſit Praepoſito dicti Collegii, linguarumque Hebraicae et Graecae Profeſſoribus: donatione hac, et linguarum ſcientiae favens, quas nemo melius ſeipſo excoluiſſet; et emolumento Collegii conſulens, in quo enutritus juvenilem aetatem in iiſdem excolendis conſumpſiſſet.

[f] Le Neve's Faſt. Britan. p. 232. 527.

BOOKS Printed for C. DAVIS.

I. JOANNIS Caii Britanni de Canibus Britannicis, Liber unus; de Rariorum Animalium et Stirpium hiſtoria, Liber unus; de Libris propriis, Liber unus; de Pronunciatione Graecae et Latinae Linguae, cum ſcriptione nova, Libellus; ad optimorum Exemplarium fidem recogniti a S. Jebb M. D. in 12mo.

II. Fratris Rogeri Bacon, ordinis Minorum, Opus Majus ad Clementem IV. Pontificem Romanum. Ex MS. Codice Dublinienſi, cum aliis quibuſdam collato, nunc primum edidit S. Jebb M. D. in Folio.

III. Miſcellaneous Obſervations upon Authors, Ancient and Modern: viz. on Virgil, on Minucius Felix, on the Notions of the Heathens concerning a future State, on the Author of The Grounds of the Chriſtian Religion, on Martial, on the Notions of the Heathens concerning Moral Obligation, on the Chronology of Cyrus, &c. on Seneca's Tragedies, on Quintilian, on Boileau's Tranſlation of Longinus, on Lucian and Euripides, on Statius, on the great Egyptian Pyramid, Extract of Mr. Gurdon's Sermons, on the Name of Byrſa given to the Citadel of Carthage, on Euſtathius, Athenaeus, and Ariſtenaetus, on Strabo, Anacreon, and Suidas, on Statius, on Juſtin Martyr, on Avienus, on Suidas, on Heſychius, on Ovid, on Thucydides, on Horace, on Euripides, on Propertius, on Aeſchylus and his Scholiaſt, on the Greek Authors concerning a Temple at Heliopolis, on the Swords of the Ancients, on Apuleius and Lucan, on Oppian, on Naugerius, on Boileau, on Tibullus, on Apuleius, on Heſiod and Euripides, on Catullus, on the Marmora Arundelliana and Demoſthenes, on Oppian, on Lucian, on Joſephus and Plutarch, on Philo, on Cicero, concerning Heliopolis in Syria, &c. on Tertullian and Cyprian, on ſome Inſcriptions, on the moveable Towns of the Ancients, on a Paſſage in Euſebius, on Prudentius, on Heſychius, on the Argonauts Epocha and the Age of Heſiod, on Rutilius, on Theocritus, on Lactantius, on the Author of the Titanomachia, on Sidonius, on Shakeſpeare, on Valerius Flaccus, on Appollonius Rhodius, on the Hiſtoriae Auguſtae Scriptores, on Manilius, on Vavaſor and Rapin, on Cave's Hiſtoria Litteraria, on the great Egyptian Pyramid. By ſome of the moſt learned Gentlemen in England. In Two Volumes in 8vo.

2

DE GRAECIS ILLUSTRIBUS, etc.

LIBER I.

De GRAECIS *eruditis, qui ante excidium* CONSTANTINOPOLIS *lingua Graeca et literatura humaniore Italiam illustrare coeperunt.*

CAP. I.
De LEONTIO PILATO.

FELICI illo seculo, nempe XIV ab orbe redempto, quo renasci in Italia coeperunt literae amoeniores, expolirique incepit lingua Latina, quae jam diu in barbariem abierat, illucentibus ingeniis Dantis, Petrarchae, et Boccatii; eodem quoque, et in eadem regione, reviviscere coeperunt literae Graecae, quae

multis jam ſeculis intermortuae per totum Occidentem jacuerant.

In Calabria, quae olim Magna Graecia dicebatur, coloniis Graecis repleta, remanſit quaedam linguae veteris cognitio; atque etiam poſt illud ſeculum, in multis iſtius regionis eccleſiis, non Latine, ſed Graece peragebantur liturgiae ſacrae: in reliquas vero Italiae partes tam raro inde demigrabat eruditio Graeca, ut vix unus aut alter repertus ſit, qui ea fuerit excultus.

Petrarcham linguam Graecam edocuit Barlaamus Calaber monachus, Graece ipſe magis quam Latine doctus. Sed primus omnium Graecorum recentioribus hiſce ſeculis hanc linguam publice in Italia profeſſus eſt Leontius Pilatus Theſſalonicenſis, Barlaami auditor, Boccatii vero praeceptor, cujus hortatu et auſpiciis ad praelegendum Florentiae Homerum excitabatur, ſcilicet circa medium iſtud ſeculum, vel paulo poſt. Is poſtquam Boccatium per triennium erudiiſſet, et brevi tempore Homerum publice praelegiſſet, Florentia Venetias ſe contulit, et apud Petrarcham, ibi tum commorantem, aliquandiu verſatus eſt. Inde Conſtantinopolim diſceſſit, brevique poſt in Italiam reverſurus, in mari Adriatico occubuit, fulmine percuſſus. De eo, qualis eſſet homo, et quo modo Florentiae Homerum praelegerat, audiendus eſt ipſe Boccatius, Genealogiae Deorum xv. 6. "Poſt Barlaamum et Paulum Peruſinum, Leontium Pilatum, Theſſalonicenſem virum, et, ut ipſe aſſerit, praedicti Barlaami auditorem, perſaepe adduco: qui quidem aſpectu horridus homo eſt, turpi facie, barba prolixa,

"et

" et capillitio nigro, & meditatione occupatus " assidua, moribus incultus, nec satis urbanus " homo; verum, uti experientia notum fecit, " literarum Graecarum doctissimus, & quodam- " modo Graecarum historiarum atque fabularum " et artium archivum inexhaustum, etsi Latina- " rum non satis adhuc instructus sit. Hujus ego " nullum vidi opus; sane quicquid ex eo recito, " ab eo viva voce referente percepi. Nam eum " legentem Homerum, et mecum singulari ami- " citia conversantem, fere tribus annis audivi." In capite sequente excusans se Boccatius, quod ex Homero carmina Graeca operi suo immiscuerit, exemplo Ciceronis, Macrobii, Apuleii, atque Ausonii, ait veterem consuetudinem jam abolitam fuisse, quia " nemo est (inquit) qui Graecas li- " teras norit: at ego in hoc Latinitati compatior, " quae sic omnino Graeca abjecit studia, ut etiam " non noscamus characteres literarum. Nam " etsi sibi suis sufficiat literis, et in eas omnis " occiduus versus sit orbis, sociatae Graecis luci- " diores proculdubio apparerent. Nec praeterea " omnia secum a Graecia veteres traxere Latini: " multa supersunt, et profecto nobis incognita, " quibus possemus scientes effici meliores." Interjectis aliquibus de se, et Leontio, haec subnectit: " Sed quid multa? Geramus paululum ob- " jurgationibus morem: ostentationis causa " Graeca carmina adscripsi: quid inde, quaeso, " mordendus sum? Cui enim injuriam facio, si " jure utor meo? Si nesciunt, meum est hoc " decus, mea est gloria, scilicet inter Etruscos " Graecis uti carminibus. Nonne ego fui, qui " Leontium Pilatum a Venetiis occiduam Baby-

"lonem quaerentem a longa peregrinatione meis "flexi consiliis, in patria tenui? qui illum in "propriam domum suscepi, et diu hospitem "habui, et maximo labore meo curavi, ut inter "doctores Florentini studii susciperetur, ei ex "publico mercede apposita. Fui equidem ipse "insuper, qui primus meis sumptibus Ho-"meri libros et alios quosdam Graecos in He-"truriam revocavi, ex qua multis ante seculis "abierant non redituri. Nec in Hetruriam "tantum, sed in patriam deduxi. Ipse ego fui, "qui primus ex Latinis a Leontio Pilato in pri-"vato Iliadem audivi. Ipse insuper fui, qui, "ut legerentur publice libri Homeri, operatus "sum. Et esto, non satis plene perceperim: "percepi tamen quantum potui: nec dubium, "si permansisset homo ille vagus diutius penes "nos, quin plenius percepissem. Sed quantu-"lumcunque ex multis didicerim: nonnullos "tamen praeceptoris demonstratione crebra in-"tegre intellexi, eosque, prout opportunum vi-"sum est, huic operi miscui." Illum passim in isto opere Leontii nomine in testimonium advocat.

Ejusdem habemus mentionem luculentissimam in Petrarchae quibusdam ad Boccatium epistolis; in quibus refert, eum in Italiam reverti denuo volentem in mari Adriatico fulmine periisse. Eum autem, non Leontium, sed Leonem, nominare solet Petrarcha, et revera non Thessalonicensem, sed Calabrum, fuisse asserit. Ex eodem intelligimus illum Boccatii hortatu Iliadem Homeri, Odysseaeque partem aliquam, in Latinum vertisse. Errat enim Thomasinus, cum in Pe-

trarcha

tarcha Redivivo cap. 4. ſcribit, curaviſſe Petrarcham ipſum, Homerum ſuis ſumptibus in Latinum converti. Rerum Senilium lib. 3. " Leo noſter " vere Calaber, ſed, ut ipſe vult, Theſſalus, " quaſi nobilius ſit Graecum eſſe quam Italum; " idem tamen ut apud nos Graecus ſit, apud " illos puto Italus, quo ſcilicet utrobique pere- " grina nobilitetur origine: hic Leo, inquam, " undecunque magna bellua, me nolente fru- " ſtraque diu ac multum diſſuadente, ſurdior " ſcopulis ad quos ibat, tuum poſt abitum hinc " (Venetiis) abiit. Noſti hominem, et me noſti; " an is triſtior, an ego laetior, haud facile judices. " Itaque veritus ne convictu aſſiduo fortaſſis in- " ficerer (eſt enim animi aegritudo non minus " contagioſa, quam corporis) abire paſſus ſum, " ad quem tenendum alio quam precum vin- " culo opus eſſet, dato illi viae comite comico " Terentio, quo incredibiliter delectari illum " animadverteram, ſaepe ſtupens, quid com- " mune habere poſſet Graius ille moeſtiſſimus " cum hoc Affro jucundiſſimo. Sic e contra, " nulla tanta ſimilitudo, quae non aliquid diſſi- " mulet. Abiit ergo ſub aeſtatis exitum, multa " me coram ſaepe in Italiam Latinumque no- " men acerrime invectus. Vix illum perveniſſe " diceres, dum ex inſperato barba & crinibus " ſuis horridior majorque ad me rediit epiſtola, " ubi inter multa, ceu terram coeleſtem, damna- " tam modo laudat atque amat Italiam, dilectam- " que Graeciam odit, laudatamque Byzantium " execratur, et ut ſe jubeam ad me venire, " tanta rogat inſtantia, quanta vix Petrus nau- " fragans imperantem fluctibus Chriſtum orat.

" — Gaudeo hercle verbis incredulum, rebus
" admonitum, et saxeum illud caput experientia
" emollitum: caeterum neque constantiae suae
" fido, neque vel naturam vel aetatem, etsi ipse
" aliud spondeat, mutandis moribus aptam reor.
" Unum praeterea, quod ridebis, precibus inserit,
" ut pro eo scilicet apud Constantinopolitanum
" imperatorem literis intercedam, cujus mihi nec
" visa facies, nec auditum nomen. — Postremo
" autem ne amici volatilis tam verbosa mentio
" frustra sit, redit hic in animum te precari, ut
" Homericae partem illam Odysseae, qua Ulysses
" it ad inferos, et locorum, qui in vestibulo Erebi
" sunt, descriptionem ab Homero factam, ab hoc
" autem, de quo agimus, tuo hortatu in Lati-
" num versam, mihi quamprimum potes ad-
" modum egenti, utcunque tuis digitis exaratam,
" mittas. Hoc in praesens. In futurum autem,
" si me amas, vide, obsecro, an tuo studio, mea
" impensa, fieri possit, ut Homerus integer bi-
" bliothecae huic, ubi pridem Graecus habitat,
" tandem Latinus accedat." Rursus lib. 5.
" De Leontio, seu Leone, olim nostro, qui Thes-
" salus dici mavult quam Italicus, non muto
" sententiam, et jure subnixam, et tuo demum
" judicio comprobatam. Nunquam ergo literis
" meis aut nunciis revocabitur, quamvis roget.
" Maneat ubi elegit, et quo insolenter abiit, illic
" flebiliter degat. Qui tanto fastu cum in omni
" fortuna turpi, tum in paupertate turpissimo,
" delicias Florentinas sprevit, tanto gemitu By-
" zantinam ferat inopiam: denique qui Itala
" culta damnavit, senescat per me licebit in syl-
" vis Haemoniis, et Graecis esca sit vermibus,

"aut

" aut si libet, ubi, quod nescio an tu noris, mihi
" plane compertum est, multos olim egit annos,
" ad Cretensis labyrinthi custodiam revertatur,
" homo alioquin nostris studiis non ineptus, si
" tamen homo esset, nec se belluam asperitate
" insigni et novitatis studio effecisset; quam ob
" causam nescio, nisi vel naturæ durioris imperio
" coactus, vel ab calle fortassis, quod multos
" fecisse novimus, famam quaerens. Eat sane,
" suosque sibi mores habeat, suam barbam, suum
" pallium, suam famem, metatque quod sevit,
" teratque quod messuit, edat denique quod in-
" trivit." Epist. I. lib. 6. " Homeri mentio
" me illius admonet, quo hic medio in Latinum
" venit. O male igitur, o pessime actum de
" Leone dicam nostro! cogit enim pietas atque
" ingens miseratio sine stomacho jam de illo loqui,
" de quo pridem multa cum stomacho. Mu-
" tatus est animus semper meus cum illius
" hominis fortuna, quae cum misera fuit, nunc
" horrenda est. Infelix homo, qualiscunque
" quidem, nos amabat, etsi talis esset, qui nec alios
" nec seipsum amare didicisset; sinistris alitibus
" in hunc mundum ingressus, sinisterioribus abiit,
" ubi nullum puto serenum diem vidit. Quem
" memoria repetens saepe, admiror quomodo in
" tam tristem fuscamque animam Pierii spiritus
" ac coelestis musicae vel tenuis descendisset
" olfactus. Orabat miser multis precibus ut pro
" se mitterem, fassus errorem, quae res maxime
" iratos animos placat. Ego vero et instabilitatem
" mihi notissimam, et aetatem intractabilem,
" mutandisque jam moribus duriorem veritus,
" et consilio insuper tuo fretus, quo fidenter in

" re qualibet uti velim, ut quod rite confulen-
" tium utraque fax illuftrat ingenium et fides,
" fpretis precibus, refponfum literis nullum dedi;
" cepit illum tandem familiaritatis noftrae defi-
" derium ardentius, et male fibi cognitae pudor
" Italiae, moribufque fifus noftris, cogitanfque
" quod verum erat, etfi vocari effet indignus,
" fi tamen ultro veniffet, minime quidem fe
" noftris arcendum liminibus, proxima aeftate,
" Aeolo ac Neptuno, totoque Phorci exercitu, ad-
" verfante, Byzantio funem folvit. O quid dicam!
" miferabilem terrificamque rem audies. Jam-
" que Bofphorum atque Propontidem, jamque
" Hellefpontum Aegeumque et Ionium maria
" Graeca tranfiverat, jam Italicae telluris, ut au-
" guror, afpectu, laetus dicerem, ni natura refpu-
" eret, at equidem minus moeftus Adriaticum
" fulcabat aequor, dum repente mutata coeli
" facie pelagique faeva tempeftas exoritur; cae-
" terifque ad fua munia effufis, Leo mifer malo
" affixus inhaeferat, malo, inquam, vere, malo-
" rumque ultimo, quod per omne aevum multa
" perpeffo dura in finem fortuna fervaverat.
" Horret calamus infelicis amici cafum promere.
" Ad fummam, inter multas ac horrifonas coeli
" minas iratus Jupiter telum torfit, quo dif-
" fectae antennae incenfaque carbafa in favillas
" abiere, et lambentibus malis flammis aethereis,
" cunctis ftratis ac territis, folus ille nofter periit.
" Hic Leonis finis, — viri humilis, nec indocti,
" fed nec fortunati unquam profpere, nec jucundi.
" Semper certe nunc intelligo, ut multa poft
" factum intelligimus, femper, inquam, nubes
" illa moeftique oris obfcuritas nunciabat hoc
" fulmen,

" fulmen. Supellex horridula, et squalentes libelli, " hinc nautarum fide, hinc propria tuti inopia " evasere. Inquiri faciam, an sit in eis Euripides, " Sophoclesque, et alii, quos mihi quaesiturum " se spoponderat. Truncus informis, ac semiustus " in mare jactatus est." Homeri ab eo conversi mentionem rursus facit epistola proxime subsequente: " Restat, ut noveris, Homerum, jam " Latinum, et mittentis amorem et transferentis " mihi memoriam ac suspiria renovantem, ad " nos tandem pervenisse, meque et omnes, seu " Graecos seu Latinos, qui bibliothecam hanc " (Venetam) inhabitant, replesse gaudio atque " oblectatione mirabili." Iterum lib. 5. epist. ad eundem Boccatium: " Quod mihi de Ho-" mero manu tua scriptum miseras, antequam " Venetiis proficiscerer, suscepi, ut fide atque " indulgentia tua laetus, sic supervacuo moestior " labore, quem tibi impositurus non fueram, si " scivissem quod nunc scio. Non enim nosse " optabam, quid apud Graios inferos agere-" tur, apud Latinos nosse quid agitur satis est, " idque vel lectione, vel auditu solo, utinam " nec visu unquam contigerit. Sed volebam " scire qualiter Homerus ipse gravis homo, vel " Asiaticus, et, quod miraculum auget, caecus " quoque, solitudines Italas descripsisset, vel Ae-" oliam scilicet vel Avernum lacum, montemque " Circeum. Sed quoniam tibi placuit, ut mihi " postea totum opus illud eximium destinares, " ibi forsan inveniam quod quaero: spem tamen " hanc minuit quod scribis, misisse te Iliadem " totam, Odysseae autem partem. In eo qui-" dem libro est, quod scire velim. Miror sane

quod

" quod ita illam totam, hujus partem miſeris;
" ſed fortaſſe integram non habebas. Quicquid
" erit videro, dum me domum meam ſors revex-
" erit, tranſcribique faciam, et remittam tibi,
" quem tanta re privaſſe pati nolim." Verſionem hanc Homeri exiſtimo eandem fuiſſe cum illa, quae ſeculo ſequente in bibliotheca Nicolai Nicoli Florentina aſſervata memoratur. Quam ibi repertam fuiſſe a Laur. Valla, et ſuo nomine editam, in vulgus ſparſerunt illius aemuli. Barthol. Facius invectiva in Vallam, quam ſcripſit paulo ante annum 1450, ait verſionem iſtam Homeri jam ſupra centeſimum annum Florentiae eſſe: unde dignoſcimus paulo ante medium hujuſce ſeculi apud Boccatium egiſſe Pilatum, et Florentiae praelegiſſe. Erat iſta tralatio ad verbum, et barbara. Odyſſea ſervatur etiamnum Patavii in bibliotheca S. Joannis in Viridario, in quo exemplari male tribuitur Emanueli Chryſolorae. Homeri Odyſſea ex tranſlatione Manuelis Chryſolorae, vel potius alicujus indocti, ait Petrus Montagnana in notula ſua manu adſcripta, qui librum donavit circa annum 1478, Pilati eſſe haud dubito. In eadem bibliotheca habetur, ex ejuſdem Montagnanae dono, Homeri Ilias Latine expoſita; cui additur ad verbum Latina interpretatio: ejuſdem, uti ſuſpicor, Pilati. In cod. Regio Pariſino tribuitur ipſi Petrarchae tranſlatio praedicta cum Iliadis tum Odyſſeae. Sic enim legitur in indice quodam, quem vidi, Bibl. Regiae, MS. Homericae Iliadis et Odyſſeae verſio Lat. Franc. Petrarchae. Ejuſdem Pilati meminit Jannotius Manettus in vita Boccatii nondum edita. " Hunc
" (Petrarcham) Boccatius, ut arbitror, imitatus,

" a Le-

" a Leontio quodam Theſſalonicenſi literarum
" Graecarum in eadem tempeſtate doctiſſimo
" triennium eruditus nonnulla percepit, multo
" plura, ut ipſe teſtatur, percepturus, ſi diutius
" vagus praeceptor veteri majorum ſuorum ritu
" in eodem docendi propoſito perſeveraſſet. Tan-
" tum tamen exinde hoc ſuo diſciplinae tempore
" reportavit, ut inter caetera Iliadem atque Odyſ-
" ſeam praeclara Homeri poemata intellexerit,
" verum etiam nonnullos alios poetas ab exponente
" magiſtro percipiens, multa ſuo egregio Gene-
" alogiarum operi opportune admodum inſeruerit.

CAP.

CAP. II.
De EMANUELE et JOANNE CHRYSOLORIS.

IN Boccatio periit quicquid Graecarum literarum in Italia ſeverat Pilatus iſte. Tamen paulo ante exitum ejuſdem ſeculi ibidem ſcaturire coepit fons iſte literarum earundem, unde per univerſas regiones occidentales defluxerunt tandem et diffuſi ſunt uberrimi rivuli, nunquam illi perituri. Nimirum hoc tempore Florentiae eas docere coepit EMANUEL (ſive MANUEL) CHRYSOLORAS, eques Conſtantinopolitanus, ex majoribus Romanis, qui una cum Conſtantino M. Byzantium migraverant, oriundus. Byzantio is emiſſus ab imperatore Joanne Palaeologo ſeniore, qui obiit anno 1391, ut a regibus Europae contra Bajazetum, Turcarum tyrannum, pecuniae ſubſidium imploraret, eoſque ad bellum ſuſcipiendum inflammaret, poſtquam regem Angliae Ricardum II. alioſque ſupplex, neque re prorſus infecta, adiiſſet, in Italiam conceſſit. In epiſtola, quam Romae ſcripſit ad Joannem imperatorem, De Veteris ac Novae Romae comparatione, tradit ſe ante biennium Londini in Britannia una cum comitatu ſuo fuiſſe.

Exactis in legatione annis tribus vel pluribus, Conſtantinopolim ad imperatorem ſuum revertebatur. Inde poſtea rurſus in Italiam veniebat, partim Turcarum metu, partim Graecarum literarum docendarum gratia. Venetias mari appellens, a ſenatu mox Florentino, quorum in animis

animis Leontii Pilati Homericae praelectiones literaturae Graecanicae desiderium excitassent, et apud quos potissimum reviresċere jam coeperant studia humaniora, honorifice et publice invitabatur, oblato salario, ad eorum professionem. Jannotius Manettus, ipsius discipulus, idemque Florentinus, in Vita Boccatii nondum edita (sed a nobis olim in alio quodam opere edenda) testatur illum ab ipsa usque Constantinopoli invitatum fuisse a Florentinis.

Quo anno hoc contigerit, non satis liquet; hoc tantum certissime constat, ludum ejus apertum fuisse inter annos 1390 et 1400. Sub Bonifacio IX, qui pontificale solium ascendit 1389, et 1404 obiit, Graecas literas Latio fuisse restitutas luculentissime testantur Platina, Sabellicus, et Raphael Volaterranus. Venisseque eum Florentiam, indeque etiam discessisse ante finem seculi XIV, apertissime innuit Leonardus Aretinus Historia rerum suo tempore gestarum. Docere eum coepisse circa annum 1491 id argumento esse videatur, quod Petrus Paulus Vergerius, quem refert Leonardus Florentiam Patavio ad illum audiendum concessisse, in epistola quadam MS. ad Leon. Justinianum data 6 Nov. 1417, ait se Franciscum Zabarellam, episcopum et cardinalem Florentinum, primum novisse Florentiae ante TRIGINTA fere annos, cum ibi studiorum causa ipse versaretur. Huic calculo insuper convenit, quod testantur nonnulli Manuelem imperatorem Constantinopolitanum peregrinationes in Occidentem obivisse ab anno 1392 ad annum 1395. Illud enim certissimum est, testimonio cum Leonardi Aretini tum etiam Jannotii Manetti, coepisse

piſſe Chryſoloram Florentiae docere paulo minus triennio ante adventum Manuelis imperatoris ad urbem Mediolani. Juxta alios vero in Italiam venit imperator ille circa annum 1397.

Graecarum literarum per Chryſolorae operam reductionem refert Opmeerus ad annum 1399; alii ad annum 1398, ut Jac. Philippus Bergomas, inſequentis ſeculi chronologus, quem plures ſequuntur, Matthaeus Beroaldus, Miraeus, Funccius, etc. Et huic quidem ſententiae quam optime congruit, quod teſtantur Annales noſtri *Anglicani, in Angliam appuliſſe Graecorum imperatorem vergente anno 1401. In Chronico Magno Belgico inſcripto, dicitur literarum Graecarum diſciplina a Chryſolora reducta fuiſſe anno 1397.

Florentiae docuit integro fere triennio, ut exinde apparet, quod teſtatur Manettus in oratione MS. Leonardum Aretinum per triennium circiter illius, antequam Florentia diſcederet, fuiſſe auditorem: ſupra biennium, ipſe ait Leonardus.

Florentia Mediolanum ab imperatore ſuo Manuele, in Italiam atque ad urbem illam veniente, evocabatur. Apud quem dum commoraretur, agebat cum eo Joannes Galeatius, Mediolani dux,

* Opus MS. bibl. Lambeth. cui tit. Speculum Parvulorum, lib. 5. c. 30. " Anno Verbi Dei incarnati 1401, et anno ſecundo " illuſtriſſimi principis et regis Anglorum Henrici IV, Conſtan" tinopolitanus imperator, diu variiſque et horrendis paganorum " inſultibus coartatus, ut pro eiſdem reſiſtentiam triumphalem per" quireret, Anglorum regem ſupradictum viſitare decrevit. Qui " cum nonnullis viris peritis de natione Graeciae venit Cantuariam " de Dovoria circa feſtum S. Luciae virginis (13 Decemb.) et à do" mino Thoma Chyllenden, tunc priore eccleſiae Chriſti Cantuari" enſis et ejuſdem loci conventu, cum debita reverentia eſt ſuſ" ceptus."

ut

ut Ticini academiam, a patre suo nuper conditam, Graecarum literarum professione illustraret. Annuit Emanuel, partim nobilissimi principis adlectus praemiis, partim vero quia Florentiam, Nicolai cujusdam Nicoli (amici prius, postea inimici) simultatibus nimium vexatus, reverti nolebat. Discedente Mediolano imperatore, Ticinum se illico confert, ibique inter aliarum disciplinarum eximios professores Graecae linguae professor enituit; nempe usque ad obitum, sicut credi par est, Galeatii ducis, qui contigit anno 1402, mense Octobri.

Defuncto Galeatio, quum omnia ibi locorum agitata bellis turbataque essent, Venetias inde demigrat.

Hinc elapsis aliquot annis, Leonardi Aretini, discipuli olim sui, tum vero Gregorio XII ab epistolis, suggestu et hortatu, invitatur acciturque Romam. Iniit vero is pontificatum pridie cal. Novembr. 1406, et Junio mense 1409 exauctoratus est.

Anno 1413 una cum Francisco Zabarella cardinale a Martino V in Germaniam ad Caesarem Sigismundum legatus missus est ad locum concilio celebrando eligendum. Ubi Constantiam ii duo eligebant.

Postea rursum ad suum imperatorem Constantinopolim est reversus, ab eoque una cum aliis quibusdam ad concilium Constantiense missus est legatus ineunte anno 1415. Ubi brevi post concilii exordium vitam cum morte commutavit Apr. 15, 1415.

Haec breviter diximus de primo illo Graecarum literarum instauratore, Emanuele Chrysolora, viro

viro nunquam ſine honore nominando. In quibus non pauca ſunt ab iſtis, quae vulgo e Pauli Jovii elogiis de eo feruntur, diſſidentia. De eo ſic ſcribit Jovius: "Emanuelis, qui primus "Graecas literas variis barbarorum irruptionibus "expulſas poſt ſeptingentos annos in Italiam re-"portavit, tanta fuit in docendo liberalis ingenii "humanitas, ut ejus praeclara facies, prima in-"ter Graecorum imagines (in muſeo meo) me-"rito collocanda videatur; quanquam nulla "exſtent, praeter artis grammaticae regulas, "gravioris doctrinae monumenta. In docendo "enim nunquam feſſus, facile in ſcribendo de-"ſidioſus videri poterat, quum altera pars laudis "exoptata noſtris utili profeſſione peteretur. Is "Byzantio emiſſus a Joanne imperatore, ut totius "Europae reges adeundo pereunti Graeciae "maturam opem imploraret, officium quidem la-"borioſa peregrinatione ita implevit, ut in Italia "ſubſiſteret, Graecia ſcilicet praeſenti metu libe-"rata, cum Tamerlanes terror Orientis Bajaze-"tem Othomannum, a terribili celeritate ful-"guris cognomen adeptum, ad Stellam mon-"tem vivum cepiſſet. Itaque Chryſoloras, diro "Graeciae hoſte ſublato, Venetiis primum et "mox Florentiae, Romaeque, ac demum Ti-"cini, evocante ingentibus praemiis Joanne Ga-"leacio principe, Graecarum literarum ſtudium "excitavit, tanta felicitate, ut ex ejus ſchola "ſummae nec ideo interiturae laudis ingenia "prodierint: in queis fuere Leonardus Aretinus, "Franciſcus Barbarus, Philelphus, Guarinus, "et Pogius. Poſtremo, quum ad tollendam "pſeudopontificum controverſiam indicta ſyno-
"dus

" dus tanti ſpectaculi cupidum excitaſſet, ex-
" auctorato Balthaſare Coſſa, Conſtantiae inter-
" iit," etc. In quibus verbis non pauci ſunt errores.

Primo fallitur Jovius, cum innuit Chryſoloram in ipſa legatione ſua in Italia ſubſtitiſſe. Rediiſſe illum Conſtantinopolim, indeque rurſus in Italiam conceſſiſſe, quo tempore Graece docere coepit, teſtatur diſcipulus ejus Leonardus Aretinus, cum dicit eum, " obſeſſa a Turcis patria Venetias
" MARI delatum, mox audita ejus fama invita-
" tum fuiſſe ſalario publico Florentiam." Apertius Andreas Julianus in illius encomio, qui, poſtquam locutus fuiſſet de legatione in alias Europae regiones et in Italiam ab eo ſuſcepta, ait illum " non refertam clariſſimis viris atque
" optimis artibus Italiam ad quietem elegiſſe:" multiſque interjectis, ſubnectit illum, " ne ſtu-
" diorum Graecorum vetus illa gloria deficeret,
" in Italiam NAVIGASSE, clariſſimamque
" et celeberrimam urbem Florentiam appli-
" caſſe," etc.

Cum dicit Jovius, Chryſoloram Venetiis primum, et mox Florentiae, Romaeque, ac demum Ticini, docuiſſe, tot errores committit, quot verba ſunt, totumque locorum invertit ordinem. Illum primo Venetiis ludum aperuiſſe cum Jovio quidem conſentiunt Philippus Bergomas et Raphael Volaterranus, ſuffragante etiam, ut videtur, Blondo Flavio, ut recentiores complures praetermittam. Verum illos hoc in errorem induxit, quod Venetias primum appulit, atque inde a Florentinis accitus eſt. Certe illum non Venetiis, ſed Florentiae primum docere coepiſſe,

locupletiſſimi teſtes ſunt Jannotius Manettus, et ipſe Andreas Julianus, Venetus, in Oratione Venetiis publice habita. Affirmat quoque Poggius, [a] ipſius diſcipulus, antequam ille Florentiae profiteretur, " Graeca ſtudia fuiſſe Italis " ignota." Venetiis Romam, poſtquam ibi aliquandiu docuiſſet, invitatum fuiſſe a Gregorio XII. ex Leonardi Aretini Epiſtolis evidenter apparet. In Epiſtola ad Petrum Myanum, Venetum, haec habet Leonardus: " Vix eſt, ut " non invideam felicitati tuae, qui Manuelem " Chryſoloram, virum doctiſſimum, atque optimum, tamdiu Venetiis diſtineas, ejuſque " adventum in curiam retardes. Nos enim, " ut alias ſaepius, ita nunc cum Oratoribus " veſtris, ut veniret expectantes, non ſemel " fruſtrata ſpes eſt, et fefellit opinio; quem, " rogo, ut meo nomine ſalvere jubeas, et volumen Auguſtini De civitate Dei, quod apud " te illius nomine depoſueram, eidem tradas, " faciaſque me certiorem, an aliquos Graecos " mihi deferat.

Illud inſuper falſum, quod innuitur a Jovio, et ab aliis poſt eum multis, quos inter Allatius, aſſeritur, Chryſoloram ex Italia ex curioſitate tanti ſpectaculi cupidum Conſtantienſe concilium adiiſſe. Nempe ignorabant illum in patriam ſuam demum ex Italia reverſum fuiſſe, et poſtremo ab Imperatore ſuo Conſtantiam miſſum. Refert Sguropulus, in Hiſtoria concilii Florentini, [b] Manuelem Chryſoloram Conſtantinopolim ex Italia redeuntem, attuliſſe epiſtolam a Pon-

[a] Orat. funebri in Nicolaum Nicolum.
[b] Sect. 11. c. 7.

tifico

tifice Romano ad Matthaeum Patriarcham Constantinopolitanum. Hoc factum fuerit fortasse, quando prima vice ex legatione Constantinopolim esset reversus. Sed clarius, et quidem clarissime, id patet ex Andreae Juliani oratione. Venisse illum Constantiam ex Constantinopoli apertissime is docet, illiusque illuc profectionem legationem secundam appellat. Porro extat in Cod. MS. Guarini Veronensis, illius discipuli, [c] epistola ad illum Constantinopoli (ut apparet) agentem scripta.

Rursus fallitur Jovius, cum existimat Chrysoloram praeter Graecae grammaticae regulas nihil scripti reliquisse. Tractatulus ejus, non inelegans, de comparatione Veteris et Novae Romae, ad Joannem imperatorem scriptus, quem Graece, adjuncta versione Latina, [d] emisit Petrus Lambecius, magno in precio, auctore adhuc superstite, habebatur. Laudatur a Guarino Veronensi in epistola ad ipsum auctorem nondum edita, mox vero partim edenda; a quo nuncupatur Utriusque Romae laudatio. Eam publici juris fecit Emanuel postquam in patriam, derelicta secunda vice Italia, semet contulisset, quamvis diu antea eam scripsisset, nempe quo tempore Romae legatum agebat. Commemoratur laudaturque opusculum idem ab Andrea Juliano, qui addit, illum, paulo ante obitum, " omnem ad scribendi studium operam atque " otium contulisse." Latine olim versum est a Francisco Aleardo Veronensi, et Joanni Galeazo,

[c] Vide eam partim inferius editam. [d] Una cum Codino de Origine Constantinopolis.

Marchioni Sfortiae, anno 1464 dicatum; quae versio descripta e bibliotheca Christinae reginae, penes clarissimum Mabillonium est. Exemplar Graecum in multis servatur bibliothecis.

Epistolae isti subjecit Lambecius duas alias, sed Graece duntaxat, ad Joannem et Demetrium Chrysoloras consanguineos ejus conscriptas; quas edidit e Codice MS. Vindobonensi.

In Volumine MS. bibliothecae Lugduno-Batavae plures esse dicuntur illius epistolae, et aliquot Latine a Bonaventura Vulcanio conversae.

Oratio ejus in obitum fratris sui Palantis extat Florentiae in bibliotheca Medicea, una cum Oratione de Trinitate, et alia ad episcopos (Concilii Constantiensis initio, ut credibile est, habita) de pace.

Gregorii Magni pontificis Romani Liturgiam e Latino Graece vertit; quae translatio Romae habetur in Bibliotheca Barberina cod. 75. auctior perfectiorque illa, quae extat in Bibliotheca Patrum sub nomine Georgii Codini, ut testatur [e] Leo Allatius. Utrum prorsus diversa sit, viderint illi, quibus datur facultas.

Parisiis, in Codice Naudaeano 32. asservantur Emanuelis Chrysolorae capita, quibus probatur Spiritus Sanctus et a Filio procedere. Incipit Ῥωμαίοις γράφων ὁ μακάριος Παῦλος. Desinit ἀρχαίας συνόδους εὕρηται βεβαιουμένας. Ejusdem tractatus tanquam Emanuelis nostri mentionem facit Allatius in libro adversus Creightonum, brevis quidem, sed illius judicio, satis acuti et solidi. Quantus fuerit Ema-

[e] De Georgiis, in Codino.

nuel

nuel ecclesiae Latinae fautor, ex Oratione Andreae Juliani intelligi potest.

Possevinus [f] scribit apud Sanctum Antonium Venetiis extitisse MS. disputationem, qua disserunt inter se de processione Spiritus Sancti Manuel Chrysoloras et Gregorius Palamas. Vel alius et diversus a nostro fuit iste Manuel Chrysoloras, vel fictitius fuit dialogus. Manuelem enim nostrum tot annis anteibat Gregorius Palamas, ut in illius adolescentiam incurreret senecta hujus extrema. Suspicor ego, in exemplari saltem primaevo non positum fuisse Manuelis nomen, sed tantum Chrysolorae, neque alium revera designari, quam Joannem illum Chrysoloram, cujus meminit Phranzes Protovestiarius, [g] Barlaamo monacho et Gregorio Palamae aequalem, qui ejusmodi controversiis se noscitur immiscuisse. Jacobus Pontanus, in notis ad Protovestiarium, perperam illum confundit cum Emanuele nostro.

De Leontii Pilati versione Odysseae in exemplari Patavino Manueli Chrysolorae male tributa, jam supra, in Pilato, locuti fuimus.

Eum alia pauca praeter Grammaticae Institutiones edidisse, se nulla tamen ejus carmina legisse, monet L. Gregorius Gyraldus in dialogo posteriori de Poetis sui temporis.

Mirum vero est, in errore tanto versari potuisse Jacobum Philippum Bergomatem, ut crederet assereretque, Emanuelem nostrum nihil omnino reliquisse scriptum ; quandoquidem ip-

[f] Apparat. Sac. in Greg. Palama. [g] Hist. I. 12.

ſius aetate in manibus eruditorum terebantur Grammaticae Graecae Inſtitutiones ab eo Graece conſcriptae, Erotematum titulo, quam celebratiſſimae. Atqui Graece, ut opinor, nihil didicerat Bergomenſis iſte Chronologus. Quamvis careant autem eae verborum formationibus, uſque adeo tamen in pretio habebantur Jo. Capnioni, ut poſt ſpatium centum annorum auditoribus ſuis in Germania eas praelegeret atque explicaret. Eaſdem praelegit Eraſmus Cantabrigiae, cum Graecas ibi literas profiteretur. In Latinum tranſtulit Albanus Torinus, poſtque illum rurſus verbatim Dominicus Sylvius. Commentariis illuſtravit Ponticus Virunius. Obſervat Conſtantinus Laſcaris [h] imperitos nonnullos eas corrupiſſe contrahendo, Κατὰ τὰ προγεγραμμένα ἐν διαφέροις ἐρωτήμασι καὶ ἐπιτομαῖς τῶν νεωτέρων, ὧν πρῶτος ὁ σοφὸς Μανουῆλος ὁ Χρυσολωρᾶς, ὁ φυτεύσας καὶ διδάξας ἐν Ιταλίᾳ τὰ Ελληνικά· οὗ τὸ βιβλίον οὐκ οἶδ' ὅπως τινὲς τῶν ἀμαθῶν συςείλαντες διέφθειραν. “ In diverſis erotematis et com-
“ pendiis juniorum, quorum primus doctus Ma-
“ nuelus Chryſoloras, qui plantavit et docuit
“ in Italia Graecas literas, cujus librum neſcio
“ quo pacto quidam ex imperitis contrahentes
“ corrupere.” Chryſoloram in ſua Grammatica exſcripſit Guarinus Veronenſis.

Si Sabellico in Epiſtolis credimus, diſcipulus fuit Chryſoloras noſter Georgii Gemiſti Plethonis, philoſophi Conſtantinopolitani. Neque aetas repugnat, tametſi multos annos Chryſolorae ſupervixit Gemiſtus. Centenarius enim,

[h] Gram. Graecae l. 3.

ut

ut fertur, obiit Gemiſtus, et conſtat illum, concilii Florentini tempore, hoc eſt anno 1439, fuiſſe aetate admodum provectum. Videtur autem Chryſoloras ſexagenarius circiter fuiſſe aut eo aliquantulum major, quum ex luce hac migravit, viz. anno 1415. Ab Andrea enim Juliano appellatur ſenex; ſed non admodum ſenem fuiſſe fidem facit Guarinus, qui in epiſtola MS. ad Joannem Chryſoloram conqueritur illum ante diem, praematura morte, e vita diſceſſiſſe. In epiſtola ad Demetrium Chryſoloram, de adventu ſuo ad urbem Romam legationis tempore, verba faciens, ait ipſe ſe factum jam fuiſſe ὠμογέροντα, hoc eſt, immaturum ſenem.

Conſtantiae, ubi animam reddidit, ſepultus jacet in coenobio Dominicanorum, ſepulchro hac inſcriptione, cujus auctor creditur fuiſſe Petrus Paulus Vergerius ipſius diſcipulus, inſignito. "Ante aram ſitus eſt D. Emanuel Chryſoloras, "eques Conſtantinopolitanus, ex vetuſto genere "Romanorum, qui cum Conſtantino Imperatore migrarunt, Vir doctiſſimus, prudentiſſimus, optimus, qui tempore Generalis Concilii diem obiit, ea exiſtimatione, ut ab omnibus ſummo ſacerdotio dignus haberetur, die "xv. Aprilis, MCCCCXV." Tumulum ejus his carminibus exornavit Poggius diſcipulus, a quo etiam oratione in funere laudatus eſt;

Hic eſt Emanuel ſitus,
Sermonis decus Attici:
Qui dum quaerere opem patriae
Afflictae ſtuderet, huc iit.

Res belle cecidit tuis
Votis, Italia; hic tibi
Linguae reſtituit decus
Atticae ante reconditae.
Res belle cecidit tuis
Votis, Emanuel; ſolo
Conſecutus in Italo
Æternum decus es, tibi
Quale Graecia non dedit,
Bello perdita Graecia.

Ab eodem Poggio in Epiſtolis, aliiſque opuſculis, dicitur "Graecorum omnium facile princeps, et doctrinae quoddam ſeminarium, a quo multi viri doctiſſimi prodierint."

Epitaphium hocce in illius compoſuit laudem Æneas Sylvius, Poeta laureatus, poſtea Pius II.

Ille ego, qui Latium priſcas imitarier artes
Exploſis docui ſermonum ambagibus, et qui
Eloquium magni Demoſthenis et Ciceronis
In lucem retuli, CHRYSOLORAS nomine notus,
Hic ſitus, emoriens peregrina ſede quieſco.
Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum eccleſiam vexaret ſchiſma per orbem.
Roma meos genuit majores, me bona tellus
Byzantina tulit, cineres Conſtantia ſervat.
Quo moriare loco, nil refert; undique coelum
Poenarumque locus menſura diſtat eadem.

Illud notatu non indignum, a Sylvio ei aſcribi literarum non modo Graecarum, verum

etiam Latinarum in Italia restituendarum gloriam. Sic idem rursus in [i] Epistolarum volumine, postquam monuisset Franciscum Petrarcham, omisso temporis sui squalore, priscam coepisse eloquentiam imitari, subnectit, "venisse
" ex Graecia posthaec Joannem (sic eum nomi-
" nat, sed male) Chrysoloram, qui Constantiae
" sepultus est, virum plurimarum literarum:
" Hunc Italos, jam scabrosi et obvoluti sermo-
" nis poenitentes, non tamen plus habentes
" luminis quam Franciscus attulerat, ad verum
" eloquentiae reduxisse: ita ut similis (inquit)
" videatur hodie Italorum facundia illi, quae
" Octavianis temporibus viguit." Andreas Julianus ait illum in lingua Latina, idque absque praeceptore ullo, tantum profecisse ut doctissimos Italiae viros aequaret.

De eo, et literis ab eo instauratis, haec habet Raphael Volaterranus lib. XXI. "Joannis
" Ravennatis discipulos ita jam Latinis legitime
" literis imbutos Emanuel Chrysoloras schola
" rursus excepit, qui praeceptor Graecae disci-
" plinae, Byzantius genere, sub Bonifacio IX. in
" Italiam venerat, primumque Venetiis, deinde
" Florentiae docuit: postremo in concilium
" Constantiense et ipse profectus, in eodem
" loco extinctus est, ac a Poggio ejus discipulo
" in funere laudatus."

Platina Bonifacii IX. vita: "In tantis au-
" tem malis, quibus provincia nostra affligeba-
" tur, unum tamen bonum in Italiam advec-
" tum est. Ad nos enim Chrysoloras Byzan-

[i] Epist. 105.

" tius literas Graecas attulit, qui annis jam
" quingentis in Italia conticuerant. Hinc Grae-
" cae Latinaeque linguae ſcholae exortae ſunt,
" Guarino, Philelpho, Ambroſio monacho, Leo-
" nardo Aretino, Caroloque, ac pleriſque aliis,
" tanquam ex equo Trojano prodeuntibus:
" quorum aemulatione multa ingenia deinceps
" ad laudem excitata ſunt."

Sabellicus Ennead. IX. 9. " Fuerunt eodem
" (Bonifacio IX.) Pontifice viri ingenio clari,
" Chryſoloras Byzantius, qui Graecas literas re-
" centiore invectu noſtris hominibus reſtituit,
" quum quinque et amplius aetates iniquitate
" temporum conticuiſſent. Hinc viri Graeca
" Latinaque facundia mox illuſtres fuere, Gua-
" rinus Veronenſis, Victorinus, Philelphus, Am-
" broſius monachus, Leonardus et Carolus Are-
" tini, aliique literarum principes, tanquam ex
" Trojano equo in lucem prodivere. Quorum
" aemulatione ingenioſa poſteritas tantum pro-
" fecit, ut Romanae linguae cultus in antiquum
" ſit ſtatum propemodum reſtitutus. — Et haec
" clara virorum nomina ex uno Graeco homine
" poſtea extiterunt."

Jacobus Philippus Bergomas ad annum MCCCXCVIII. " Emanuel Chryſoloras natione
" Graecus, patria Byzantinus, vir nobilis, ſed
" omni doctrina et virtute nobilior atque prae-
" clarior, iiſdem temporibus Conſtantinopolitana
" urbe a Turcis duriſſime vexata et obſeſſa, ex
" ea profugiens Venetias venit, et tanquam
" eruditiſſimus doctor literas Graecas ibidem
" docere coepit. Quae quidem Graeca lingua
" jam ſeptingentis annis apud noſtros conticu-

" erat.

" erat. Et hinc Graecae Latinaeque literae
" quasi semimortuae, per istum nobis reviviscere
" coeperunt. Hic itaque cum in Italiam per-
" venisset, primo apud Venetos multos adole-
" scentes Graecas docuit literas. Indeque a
" Florentinis publico salario vocatus, plurimos
" ibidem habuit discipulos, jam ab Joanne Ra-
" vennate viro doctissimo literis Latinis edoctos.
" Inter quos fuere Leonardus Aretinus, Paulus
" Sfortia, Robertus Ruffus, Petrus Paulus Ver-
" gerius, Omnebonus Vincentinus, Guarinus
" Veronensis, Carolus Aretinus, Ambrosius mo-
" nachus Camaldulensis, Pogius Florentinus,
" Franciscus Barbarus Venetus, Philelphus To-
" lentinas, et Jacobus Angeli Florentinus, qui
" jam aetate provectus ardore addiscendi ipse
" auctor fuit, ut Florentiae conduceretur. In-
" deque curiam cum secutus fuisset, et apud
" Constantiam, ubi generale Concilium celebra-
" tur, accessit. Et praedicti discipuli omnes
" dulcedine verborum suorum allecti eum sequi
" voluerunt. Hic autem etsi omni scientia
" edoctus esset, aliquid tamen quod sciamus
" scripto (non) mandavit. Constantiae tandem
" deficiens a Pogio discipulo suo melliflua ora-
" tione honestatus est."

Blondus Flavius in Italia illustrata, postquam dixisset Joannem Ravennatem auditores suos, Petrum Paulum Vergerium, Omnebonum schola Patavinum, Robertum Rossum, et Jacobum Angeli filium Florentinos, Poggiumque, Guarinum Veronensem, Victorinum Feltrensem, ac alios qui minus profecerunt, in bonarum literarum amorem, Ciceronisque imitationem,

tionem, inflammâsse, haec subnectit: " Interea Emanuel Chrysolora Constantinopolitanus, vir doctrina et omni virtute excellentissimus, quum se in Italiam contulisset, partim Venetiis, partim Florentiae, partim in curia, quam secutus est, Romana, praedictos pene omnes Joannis Ravennatis auditores literas docuit Graecas; effecitque ejus doctrina, paucis tamen continuata annis, ut qui Graecas nescirent literas, Latinis viderentur indoctiores.

Juvat prae caeteris audire Leonardum Aretinum, in Commentario rerum suo tempore in Italia gestarum, ubi de illius in Italiam atque ad urbem Florentiae adventu, discipulisque primis, haec in literas retulit. " Literae quoque per hujus belli intercapedines mirabile quantum per Italiam increvere, accedente tunc primum cognitione literarum Graecarum, quae septingentis jam annis apud nostros homines desierant, esse in usu. Retulit autem Graecam disciplinam ad nos Chrysoloras Byzantius, vir domi nobilis, ac literarum Graecarum peritissimus. Hic obsessa a Turcis patria Venetias mari delatus primo, mox audita ejus fama invitatus benigne, ac postulatus, et salario publico affectus Florentiam venit, sui copiam juvenibus exhibiturus. Ego per id tempus juri civili operam dabam, non rudis tamen caeterorum studiorum. Nam et natura flagrabam disciplinarum amore, et dialecticis ac rhetoribus non segnem operam impenderam. Itaque in adventu Chrysolorae anceps animo factus sum, cum et stu-

" dium

" dium juris deserere flagitiosum ducerem, et
" tantam occasionem literarum Graecarum
" edifcendarum praetermittere scelus quodam-
" modo arbitrarer, saepiusque ipse ad me ju-
" venili motu inquiebam: Tu, cum tibi liceat
" Homerum, Platonem, Demosthenem, caete-
" rosque poetas et philosophos et oratores, de
" quibus tanta ac tam mirabilia circumferun-
" tur, intueri, atque una colloqui, ac eorum
" mirabili disciplina imbui, te ipsum deseres
" atque destitues? Tu occasionem hanc di-
" vinitus tibi oblatam praetermittes? Septin-
" gentis jam annis nemo per Italiam Graecas
" literas tenuit, et tamen doctrinas omnes ab
" illis esse confitemur. Quanta igitur vel ad
" cognitionem utilitas, vel ad famam accessio,
" vel ad voluptatem aemulatio, tibi ex linguae
" hujus cognitione proveniet. Juris quidem
" civilis doctores passim complurimi sunt, nec
" te deficiet unquam discendi facultas. Hic
" autem unus solusque literarum Graecarum
" doctor si e conspectu se auferet, a quo post-
" modum ediscas, nemo reperietur. His tan-
" dem rationibus expugnatus Chrysolorae me
" tradidi, tanto discendi ardore, ut quae per
" diem vigilans percepissem, ea noctu quoque
" dormiens agitarem. Condiscipulos habui
" plures, sed qui maxime profecerint, duos ex
" nobilitate Florentina Robertum Ruffum, et
" Pallam Honofrii filium Stroziam. Erat in-
" super in eadem disciplina Jacobus quidam
" Angeli, qui auctor imprimis fuerat Chryso-
" loram arcessendi. Accessit quoque postmo-
" dum Petrus Vergerius Justinopolitanus, qui
" cum

" cum Patavii ſtudio floreret, ſecutus Chryſo-
" lorae famam, ſeſe Florentiam contulerat ad
" eum audiendum. Ex his Robertus et Verge-
" rius et Jacobus Angeli me longe anteibant
" aetate. Pallas erat ferme aequalis. Apud
" hunc ego magiſtrum ſupra biennium fui,
" inſtitutus ſane probabili atque optima diſci-
" plina. Tandem Imperatore Conſtantinopoli-
" tano in Italiam advecto, revocanteque ad ſe
" Chryſoloram, abiit ille Florentia, et Medio-
" lanum ad Imperatorem ſuum ſe contulit."

Idem in epiſtola, quam ſcripſit ad Nicolum Chryſolorae tum inimicum, ut illi aſſentaretur atque perplaceret, cum faſtidio aliquo de eo loquitur, quod cum Romam adveniret, gauderet veſtibus gravitate ſua minus dignis, quae riſum et ſtomachum Romanis moverint, eumque contemptui expoſuerint. " Illud (inquit) permo-
" leſtum eſt, quod Miles (Chryſoloram intel-
" lige, qui Miles, hoc eſt, Eques fuit digni-
" tate) libros attulit nullos, graves eſſe putavit,
" ipſe vero decreverat nihil praeter levitates ſe-
" cum afferre. Itaque illos omiſit, veſtes autem
" nequaquam gravi homine dignas attulit.
" Quare populus concurſat, curia ridet, ego
" digito compeſco labellum, et quo me vertam
" neſcio; vereor enim, ut nunc mores ſunt,
" ne ut olim Chaldaei ex urbe Roma, ita nunc
" Graeci ob has ineptias e curia pellantur."
Riſum iſtum curiae Romanae, populique concurſationem, tribuerim ego potius illorum ipſorum levitati, quibus riſum nimium movere ſolebant peregrini quivis habitus. Patet hoc vel ex Lapi Caſtelliunculi tractatu MS. de cu-

riae

riae (Romanae) commodis, quem ſcripſit in curia degens Concilii Ferrarienſis tempore. Is Graecos, qui concilio aderant, ita deſcribit: " Ego hujuſmodi homines nunquam ſine riſu " aſpicio. Etenim video alios prolixa ad pectus " barba, denſa coma, capillo criſpo, horrido, et " inculto, cujuſmodi Spartiatas Lycurgi legi- " bus fuiſſe accepimus, quo terribiliores eſſent, " ſi quando manus cum hoſte conſererent, " alios detonſa parumper barba, ſemiraſo ca- " pite, picto alios ſupercilio; horum partim " pileis, et iis quidem diſſimilibus, partim " mithris erectis in ſummo avium pinnis aut " aureo aliquo redimiculo, manicatiſque tunicis " utuntur, ut de Phrygibus Poeta inquit,

" Et tunicae manicas et habent redimicula
" mithrae.

" Rex eorum eodem modo, quo illi, amictus " et ornatus eſt, praeterquam quod purpura " indutus eſt, et pro pileo tiaram gerit, more " Perſarum Regum, quam, ut apud Perſas, " ferre niſi Regibus nulli permiſſum eſt, in " cujus ſummitate eſt gemma permagna et lu- " cens in auro illigata. Taceo reliquos omnes " inter ſe habitu, cultu, forma ipſa corporis " et figura, rebuſque omnibus diſſimillimos, " pleroſque aſpectu ita RIDICULOS, ut nemo " ſit adeo ſeverus et triſtis, qui RISUM aſpi- " ciens contineret.

ANDREAE

Andreae Juliani *Oratio in mortem Manuelis Chrysolorae Graeci, sive, ut est in Codice Bailiolensi, pro Manuelis Chrysolorae funere.*

SI quis vestrum est, viri doctissimi, qui forte admiretur quod ego, qui neque ingenio, neque eloquentia is sim, qui in Manuelis funere laudes, nedum oratione mea ornare, sed neque verbis referre possim, inter vos primus, spectati atque optimi viri, hujus virtutes immensas ausus sim enarrare, hanc totam in Guarinum nostrum causam vertat, qui sua potius solita benevolentia, quam aut auctoritate mea aut antiqua orandi facultate, quas in me nullas esse sentio, adductus, hoc mihi dicendi onus adjecit; cui ex ea amicitia, quae mihi cum illo jam diu est, haud aequum esse censui morem in suis lacrymis negare. Majorem tamen in modum cupiebam, quod, cum de Manuele defuncto laudationem audituri fuissetis, non mei sed ipsius Guarini haec fuisset oratio; qui, cum magna dicendi copia tum exercitationis vi praeditus sit summa, jure hanc rem sibi vendicare [k] potuisset. Tamen quoniam charissimi velut patris atque suavissimi praeceptoris morte lacrymae, ut videtis, hoc fieri vetuerunt, ad me hanc rem detulit, non quod in dicendo aut doctior aut uberior vobis sim, qui mihi praeceptores atque magistri semper fuistis, sed quia hujus ornatissimi viri laudes mecum forte saepius quam vo-

[k] Cod. Bail. *debuisset.*

biscum

biſcum communicare ſolitus erat. Verum neque mihi tantum aſſumerem, viri literatiſſimi, ut Manuelem Chryſoloram laudatione mea diuturniorem famam conſecuturum putarem, niſi integerrimam ejus in omni parte aetatis vitam, ſummam religionem, ſcientiam, fidem, continentiam conſpicerem, quae etſi non orando, enumerando certe non minimam ſibi gloriam vindicare poterunt. Quod enim genus orationis, quae copia, quae dicendi aut ſcribendi auctoritas, hujus nobiliſſimi viri, clariſſimi philoſophi, ſatis ornate, ſatis digne laudes commemorare poſſet? Quas utinam ipſo potius vivo quam mortuo nobis referre contigiſſet. Sed incertus atque inopinatus caſus hanc optatiſſimam voluptatem nobis intercepit. Nam cum ſummus pontifex ire Conſtantiam ſtatuiſſet, nonnulloſque ſummae auctoritatis viros et ſapientiae, atque erga noſtram hanc religionem inſigni quadam pietate affectos ſibi delegiſſet, Manuelem inter primos habere ſtatuit, qui in hanc laudatiſſimam rem neceſſariumque negotium ita omnem curam, ſtudium, diligentiam contulit, ut neque vim ullam, neque inſidias, neque metus proſpicere, neque ſuae ſenectutis incommoda aut labores exiſtimare [a] videretur. Quocirca hujus tam diu agitatae, diviſae, lacerataeque religionis noſtrae divino prope affectu permotus, pontificibus maximis, qui ipſius gravitatem, prudentiam, ac vitam tanquam coeleſte oraculum venerabantur, concilii ſententias, quantum in ſe fuit, ſuſcipiendas fore ſuadere conatus eſt. Et ut caeterorum bonorum judiciis adhaereret, omnem itineris longitudinem, fri-

[a] Bail. *aeſtimare.*

gora, hiemes, viarum aſperitates, atque mortem, ſi opus eſſet, perferre inſtituit. Quae cum, ut cogitarat, perfecta fuiſſent, inveteratos Graecorum errores ad Romanam religionem ſua opera ac diligentia deduxiſſet, quo quidem officio, omni laude atque honore digniſſimo, quid majus fieri aut divinius excogitari poterat? Quam coronam, quas ſtatuas, huic viro, cui nullus honor niſi debitus, nulla gratia niſi digniſſima, reddi poterat, homines, ſi in vita diutius fuiſſet, ſtatuiſſent? Ipſae mediusfidius non ſolum urbes, ſed ipſi prope dicam agricolae [a] etſi non pares, maximos certe honores Manueli decreviſſent. Sed cum praeter ſuam opinionem atque optimum bonorum judicium, communem omnium libertatem obſeſſam videret, et ad unius voluntatem redacta omnia, pontificem ſuum ad fugam redactum, aſſiduis febribus obſeſſus eſt, paucoſque poſt dies dolore magis urgente quam morbo exceſſit; imo, ſi diligenter attendere et vere judicare voluerimus, ad eam acceſſit vitam, ad quam majores noſtri ſuos illuſtres viros aſcendiſſe arbitrabantur, quos, cum ſuis curis ac moleſtiis ſoluti fuerint, ſuperiorem immortalium coetum adire affirmabant, quibus non modo ſtatuas, verum etiam aras ac templa dedicabant. Eorum ſententias ſi quis noſtrum, velut facimus, probarit, neſcio cur non Manueli noſtro inter ipſos ſuperos conſtitutum locum judicemus, praeſertim cum totius anteactae vitae ſuae mores conſpexerimus, omnemque praeteriti temporis ac pueritiae rationem recordari voluerimus, quam demum adoleſcentiam incredibili pene virtute ſummam fuiſſe de-

[a] Bail. *agri, colles.*

claravit.

claravit. Quis enim eſt qui tam ſingulari humanitate, verecundia, modeſtia adoleſcentiam ſuam ornavit; qui eo aetatis tempore omnes libidines propulſavit; qui omnem ſui corporis partem illaeſam ſanctiſſimamque ſervavit; qui teneris adhuc annis ſe ſic ad philoſophiam liberaliumque ſcientiarum ſtudia contulit, ut adoleſcens inter philoſophos et doctrina et vita numeraretur? Haec, viri optimi, paucis contigiſſe legimus. Platonem namque et Ariſtotelem aliquot poſt adoleſcentiae annos ſuae philoſophiae operam dediſſe conſtat, quorum codices, quos in ſenectute e media philoſophia hauſtos perſcripſerant, hic adoleſcens magno ſtudio conſecutus eſt, atque ita eſt conſecutus, ut caeteras deinde partes aetatis ſuae clariſſimis virtutibus nedum ornaret, ſed ut nunquam ex hominum memoria evelli poſſet, effecit. Hi ſunt gradus, viri clariſſimi, qui ad dignitates, qui ad honores, qui ad famam liberos aſcenſus parant. Haec ſunt ea virtutis elementa, quae non ſummis ac nobiliſſimis viris ſolum, verum etiam infimis, immortalem gloriam vindicant. Hujus nimirum adoleſcentiam omnes vos ſemper probaſtis, quae tam egregie traducta futurae ſuae ſenectutis fundamenta iis moribus ac vita jecerat, et quae uſque ad poſtremos ipſius annos ſibi pudicitiam caſtitatemque ſervarat; quam noſtrorum ſeculorum memoria, literatorum virorum commendationes, optimorum hominum linguae divinis laudibus celebrabunt. Pari deinde virtute, animo, cura omnes avaritiae impetus propulſavit; quae non ſolum privatos penates, verum etiam civitates, provincias, omni-

umque virtutum ornamenta corrumpit. Ab ſe enim praeclare actum exiſtimabat, cum minus pecuniae, multum gloriae, domum reportaſſet. Quanta fide, quanta integritate pecuniam ex Europa exactam, quam totam pene luſtravit, cum ex Byzantii obſidione legatus ad ipſius principes miſſus eſſet, imperatori ſuo deſignavit: Qui principes, cum belli neceſſitate adducti, tum maxima dignitate, ſapientia, et auctoritate hominis moti, magnam auri partem contulerunt: Qua in legatione Manuelis ſapientiam atque fidem admirati, maximis ſaepe praemiis eum ipſum ad ſe ducere conati ſunt, ut ſuis in rebus gerendis, conſiliiſque capiendis, tanti viri prudentia dulciſſimaque hominis familiaritate uterentur. Sed ut averſum habuit ab omni libidine corpus, ita ab omni lucri ſuſpicione animum ſemper averſum habuit. Quemadmodum enim illae ipſae Tranſalpinae voluptates nullam in ipſum luxuriae ſuſpicionem inferre potuerunt, ſed continentiae potius ſuae cunctis exemplum ac experimentum extitere; ita neque illum auri ſitis, neque gloriae aut honoris cupiditas, neque ambitio ulla ab inſtituto opere retardavit; non refertam clariſſimis viris atque optimis artibus Italiam ad quietem elegit; non imminenti denique bello oblatum otium antepoſuit: Sed tanta continentia abſtinentiaque uſus eſt, ut quae caeteri magnopere optare videntur, ab ſe ea ipſa ſpernenda judicarit; adeo ut non ex Byzantio antiquiſſima civitate, Auguſtorum urbe, aut patricia ex familia ortum, ſed velut e coelo demiſſum homines intuerentur. Qua vero caeteris in rebus moderatione, humanitate, clemen-

clementia usus fuerit, facile omnes intelligunt. Neque scio an Xenocratem, aut Tarentinum Archytam, aut reliquos homines in philosophia clarissimos Manueli non modo anteponere, sed nec aequare, quidem possim; qui cum aliquando ab aemulis atque invidis detractum suae dignitati apud Imperatorem intellexisset, non modo in eos, cum facile posset, non ultus est, sed ultro se in periculis eorum defensorem patronumque constituit. Ampla haec laus, memoria Chrysolorarum nominis, dignitas, atque gloria, ea est, ut modo dixi, quæ ex mortalibus hominibus superiorum immortalium coetus auget. Sed liberalitati ejus quam aliam comparabimus? Difficillimum est judicare, utrum majore laude dignus existimetur, an ea quae in suos an in alios usus sit. Cujus rei testes quamplurimi, nisi vobis nota haec essent, adduci possent. Unum tantum Guarinum nostrum dicam: qui cum Graecarum literarum, in quibus nunc peritissimus est, Manuelem sibi praeceptorem delegisset, ab eo non modo doctrina ac moribus ornatus fuit, sed multis aliis perpetuis ac maximis beneficiis saepenumero adjutus. Quod non minus in omnes, qui vel artibus suis vel opibus eguissent, fecisse constat. Quotiens enim cum ii aut scientiae aut alicui studiosae rei operam dare instituissent, egestate impediti, si Manuel defuisset, incepta nondum re defecissent. Quanta vero aetate et misericordia fuit non gratissima solum in parentes, in necessarios beneficia, in cives suos, in patriam divina prope merita declarant, verum etiam in nostram religionem immortalisque Dei cultum honoresque augendos

aſſidui labores, poſtremaque haec legatio demonſtrant. Quae amandi ratio? Illud ego auſus ſum dicere, quod ſaepius a ſapientiſſimis atque optimis viris audivi, cum in ſermonem de Manuelis amicitia incideremus, neminem unquam aut benevolentia in omnes, aut amicitia in bonos viros ipſum anteceſſiſſe, neque qui in comparandis et conſervandis amicitiis majorem diligentiam adhiberet. Nec id ſolum ſibi ipſi perſuadebat, verum etiam cum nihil homini tam virtuti conſentaneum, tam jocundum, tam neceſſarium et ſecundis et adverſis rebus exiſtimaret, omnes, quantum potuit, [b] notos et neceſſarios hortabatur, ut caeteris rebus humanis amicitiam anteponerent. Nihil etiam vel ad augendam gloriam, vel ad propriam communemque omnium utilitatem conſervandam majus, neque viro bono dignius a natura dari poſſe dicebat. Hi ſunt, viri clariſſimi, humanitatis et ſapientiae fructus, et expreſſa haec ſigna virtutis, communiſque omnium conſenſu divina vere commendatio; quae etiamſi morte hac minime extingui valeant, tanti viri conſuetudine nos tamen orbatos video. Quorum omnium noſtrum dolorem, amicorum ac neceſſariorum luctus, moerorem patriae, domus Chryſolorarum calamitatem, quo pacto poſſim abſque lacrymis referre, non video. Ea enim aetate a nobis ereptus eſt, qua bonis artibus, optimis diſciplinis, et Graecis et noſtris haud parum prodeſſe poterat: nam ut primum ab iis ſe curis, quas toto animo conceperat, ſolviſſet, omnem ad ſcribendi ſtudium, operam, atque otium, contuliſſet. O gra-

[b] Bail. *natos*.

vem

vem atque acerbum diem hunc, qui non ſolum domeſticis ac civibus tuis, verum etiam exteris, hanc mortem tuam nuntiavit! O lugubres epiſtolae nuper hic perlectae, lacrymarum et triſtitiae plenae! O ſors hominum ignava, inſtabiliſque fortuna, quam repente ea congratulatio, cupiditas, ac voluptas, quas tui reditus expectatio paulo ante tuis omnibus anteferebat, ad lacrymas conciderunt! Quae nos undique ad luctus vocant, noſtroſque moerores duplicant. Et in primis chariſſimi neceſſarii tui viri ornatiſſimi, atque illa tua nobiliſſima familia digniſſimi JOHANNIS CHRYSOLORAE lacrymae movent: quae me certe plurimum ad dicendum impediunt; cui quid infelicius accidere aut acerbius inferri poteſt, minime ſcio. Hic eſt, qui generis tui dignitatem, ſtudia, honores, caeteraque patriciae familiae tuae ornamenta lacerata peneque extincta non modo clara ſobole, ſed optimarum artium diſciplina, quas abs te olim didicerat, favente Deo, reficiet. Sed omittamus nunc de JOHANNE dicere, cujus humanitas, ſcientia, incredibilis virtus ac ſapientia, alios ſibi locos vindicare potuerunt; et ad id noſtra redeat oratio, quod ſuperius dicendum erat, cum Manuelis ſtudium et induſtriam commemorarem; cujus ingenium ego ipſe, qui nihil de eo majus aut admirabilius, quam quod antea audieram, afferri poſſe credebam, ſaepius ac vehementer admiratus ſum. Nam cum jam grandis eſſet, nullius praeceptoris auxilio noſtras perdidicit literas; neque ſibi oneri viſum eſt, cum tot annis philoſophiae ſtudiis vacaſſet, ad puerilia literarum

elementa reverti, commoda atque otium aſpernari, ſomnum ac voluptates omnes rejicere; totumque id tempus, quod ad res ſuas familiares obeundas, quod ad ipſam corporis requiem dari oportebat, omne in hanc noſtram ſcientiam perdiſcendam contulit. In qua paulo poſt tantum profecit, ut doctiſſimis tantiſque viris noſtris literatis eum aequare Latini minime dubitarent. Quod haud ſolum noſtrarum illuſtrandarum cauſa, quas clariſſimis philoſophis, eloquentiſſimis oratoribus, ſummiſque bonarum artium doctoribus refertas audierat, verum etiam ad ſuam et propagandam et conſervandam ſcientiam feciſſe videtur. Nam cum Graecos nihil aut parum literis ſuis animum advertere ſentiret, eaſque ſenſim ſiniſtra rerum ac temporum varietate extingui cognoſceret, ne ipſorum ſtudiorum vetus illa gloria deficeret, in Italiam navigavit, clariſſimamque et celeberrimam urbem Florentiam applicavit doctiſſimis hominibus optimiſque ſtudiis affluentem, nonnullaſque etiam alias Italiae partes ſumma omnium expectatione et divinis prope laudibus adiit: ubi etſi quamplurimos magnitudine ingenii et induſtriae viros excellentes eſſe intelligeret, minimum ſane et nullum abſque noſtris literis adjumentum attuliſſet. Quas paulo poſt civitates tum Graecis diſciplinis, tum optimis artibus ſummiſque virtutibus ita ornavit ac inſtituit, ut et peritos et bonos viros permultos efficeret; adeo ut non praeſentia modo, ſed et futura etiam ſecula ingentes ſuo nomini gratias, niſi ingratiſſima fuerint, reſervent. Nonnulla enim, quae praeteritorum hominum aut negligentia aut aliqua alia

culpa

culpa ex veteribus annalibus noſtris ac codicibus exciderant, Manuelis induſtria ad lucem redierunt. Hoc etiam concedi poſſe arbitror, quod ex his literis dudum permultum incrementi, auxilii, et facultatis, noſtris ſtudiis additum ſit. Quamplura Platonis et Plutarchi monumenta, Demoſthenis reliquorumque virorum illuſtrium libri, noſtrorum excellentiſſimorum hominum atque Graecorum geſta apud nos velut antea latuiſſent, niſi tantum Manuelis beneficium noſtris hominibus Graecarum literarum ſcientiam ſtudiumque ſuaſiſſet. Sed ut haec nobis et toti orbi nota praeteream, nonne inter naturalis hiſtoriae ac philoſophiae principes Manuel annumerandus eſt? Cum enim ipſius ſententias graviſſimas audio, ipſum illum mediusfidius Gallum, quem apud Catonem Majorem legi, viſus ſum videre, quem in ſtudio coeli metiendi atque terrae ipſe Cato pene emori videbat. Qualis in rerum divinarum cognitione fuerit, quam Metaphyſicen Graeci appellant, vir graviſſimus ſacrarum literarum princeps maximus Johannes [m] Fabricanus teſtis eſt: qui cum Manueli quatuor et viginti quaeſtiones ſolvendas poſuiſſet, nullo per id tempus ſtudio procedente, nullis tunc perlectis codicibus, divina quadam ſententia ac gravitate diſcuſſit, nec abſque maxima peritiſſimorum hominum aſtantium admiratione ac laude. Eloquentiam vero ejus admirari magis quam laudare cogor, viri doctiſſimi, cujus docendi ac ſcribendi vim ex iis, quae apud nos ſcripta extant, percipimus, et in ea maxime

[m] Cod. Bail. *Fabrianus*.

utriuſque

utriusque Romae laudatione, quam literis Graecis editam Imperatori misit, in qua [c] inauditum hominis ingenium, incredibilis verborum ubertas, sententiarum copia, non ut ex arte confecta, sed velut divino quodam ore prolata sint, perleguntur. Ac nequid studioso homine dignum ipsius ingenium denegasset, agri colendi scientia et voluptate mirifice afficiebatur, quae Catonis sententia ad sapientiae vitam proxime videtur accedere, et, ut illi seni optimo ac sapienti visum est, nulla beatior esse vita potest: Neque solum officio quidem hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed etiam delectatione et saturitate copiaque rerum omnium, quae ad victum hominum et cultum Deorum pertinent. Quantam in ea re solertiam Manuel adhibuit? Omitto quae ex sparsis seminibus generantur; pratum, sylvam, caeteraque, quae absque alicujus ope terra largitur: transeo pecudesque et apum examina; hortos pensiles praetereo, quos suo ingenio sive manibus struxit, cupressos omniumque arborum ordines, quibus in rebus neminem sibi nulla unquam aetas anteponet. Qua fortitudine, quibus moribus, omnem suam aetate gesserit, dicere praetermittam, quod ex iis quae paulo ante commemoravi, et quae in oculis nostrorum adhuc sunt, ita patere video, ut nunc vere credere incipiatis Graecos homines, omnium quondam scientiarum, omnium bonarum artium, omnis vitae, optimarumque rerum omnium inventores, praeceptores, magistros fuisse, cum Manuelis nostri vitam perspicitis, qui omnibus in rebus irreprehense vixit, ut bene beateque vivendi

[c] MS. *mandatum.*

cunctis

cunctis se speculum exhibuerit. Quod quidem cum mecum revolvo, tandem vobis, spectatissimi viri, mihique suadeo, aequo animo Manuelis mortem esse ferendam, qui ita ex hac nostra cessit vita, ut immortalem ipsius animam et ad meliora proficisci et nobiscum semper esse arbitrari possimus. Sed quo nunc te vertes, Graecia? Quas parabis lacrymas? Philosophorum omnium tuorum genus Manuelis morte mihi pene sepultum videtur. Cui post hunc vacuas scholas trades? Cui veteres tuorum illustrium virorum annales? Cui quondam ex majoribus tuis ortam philosophiam assignabis? Quem sibi haeredem instituos? Te ipsam lugere oportet; nihil enim mali accidisse Manueli, sed tibi arbitror; et si quid accidit, tui solum infortunii moerore accidit. O Socratis sapientia, O Platonis divinum ingenium, Aristotelis admirabilis cunctis in rebus ardor, Demosthenis eloquentia, omniumque philosophorum Atheniensium gymnasia, cui nunc ex vestris tot vigilias, labores, famam committetis? Quid infortunii tibi, infelix Graecia, addi potest, nisi ut tot regibus exactis, tot urbibus eversis, tot rebus publicis deletis, tanti etiam philosophi decorem amitteres? Sed ut nihil hac re certius homini a natura datum sit, neque reliquis in rebus nostris sempiternum aliquid aut diuturnum fecerit, compositis animis ferenda sunt omnia. Unum tamen tibi suadere non omittam, [d] quae illustrissimorum imperatorum, atque horum virorum, quos nunc dixi, semper sedes ac domicilium fuisti, ut non huic solum statuas aut ea corporum simulachra erigas, quae praeteritis

[d] Bail. *quoniam*.

homi-

hominibus dedicabas, ſed ſuarum immortalium virtutum eas conſtituas effigies, quae apud futura ſecula ſempiternam de ſe laudem praedicent. Et ne hoc tam claro viro minus etiam grata videare, immortalem ipſius memoriam cole. Cole continentiam, moderationem, humanitatem. Cole liberalitatem, quam in propinquos, in amicos, in patriam geſſit. Cole ſtudium, doctrinam, divinarum atque humanarum rerum ſcientiam hominis tui. Vos autem, viri eloquentiſſimi, non quod ejus opera noſtrae tantum illuſtratae ſunt literae, ſed recordatione ac deſiderio amiciſſimi atque amantiſſimi Manuelis noſtri gloriam illius nomenque totis animis atque ore celebrabitis. Nam cum omnibus rebus terminos licet incertos natura poſuit, horum tamen virorum aeternam apud mortales famam, niſi interciderit negligentia ſcriptorum, ingenia arteſque reſervant.

GASPARINI PERGAMENSIS [*rectius* BERGOMENSIS] *in laudem praecedentis orationis epiſtola ad auctorem, ex eodem Cod. MS. Norfolciano.*

Gaſparinus Pergamenſis Andreae Juliano S. D. quamplurimam.

MULTAS ex tuis orationibus accuratiſſime ſcriptas legi, ſed nullam certe politiorem ea, quam his diebus de morte ſummi viri Manuelis Chryſolorae edidiſti. Nihil enim eſt a te in ea praetermiſſum, quod ad talem virum ornandum excogitari potuerit. Quare te etiam atque etiam non quidem hortor, ſed magis laudo, quod divinum ingenium, quod natura ad dicendum

dum tibi dederit, tum etiam ſummum ſtudium ad eam rem contuliſti. Magnam itaque voluptatem ex tua oratione percepi, qua ingenia noſtra tantum ad haec ſtudia incitari video. Nec deſpero futurum, ut illa majorum noſtrorum gloria, quae pene in dicendo extincta erat, hac noſtra aetate reviviſcat, modo ut natura ingenia, ita et fortuna civilia negotia paria negotiis priorum oratorum conferat. Quorum alterum tua virtus, alterum reſpublica et magiſtratus, quem pulcherrimum adeptus es, facile tibi praeſtabit. Vale.

Ab eodem Gaſparino in tract. MS. de Orthographia dicitur, " illam aetatem nihil " Emanuelis Chryſolorae, vel multarum rerum " ſcientia, vel virtute animi, par habuiſſe."

Manuelis Chryſolorae vitam ſe literis mandaturum pollicetur Guarinus, diſcipulus ei in primis charus: quod tamen utrum praeſtiterit necne, incertum. Illius ad eum epiſtolam, qua laudes ejus continentur, ex Codd. MSS. bibliothecae tum Norfolcianae et Bailiolenſis adjeci.

Guarinus Veron. clariſſimo viro Manueli Chryſolorae ſalutem plurimam dicit.

UNAS abs te nuper, jocundiſſime pater, literas accepi ſuaviſſimas quidem, verum breves, et, ſi quidem aviditatem meam contemplere, breviſſimas, quanquam id imprudentius fortaſſe dictum. Atenim tu vim amoris atque naturam inexplebilem probe noſti. Ego vero tibi profitebor ingenue: Ex quo tuarum dulcedinem ac voluptatem epiſtolarum penitus guſtavi, helluonum

num more edacium assumpsi. Illi enim appositis haud contenti dapibus, simul et datis vescuntur, et alias avidius efflagitant. Ego quoque quantum leporem gravitatemque tua secum apportet oratio non ignarus, nedum desiderium meum ipsa literarum brevitate restinguere aut sedare valeam, sed magis atque magis incendor. Caeterum humanitatem tuam et amorem erga me, sicut non aliis in rebus, ita istis ipsis in literis frustra desidero. Quarum rerum mirifica in me signa demonstras, qui cum meam scribendi tarditatem jure increpare debuisses, et ita profecto facturum proxima te epistola credidi, non modo perpetua benevolentia et charitate collaudas, verum quod ad me maturius non rescripseris benignissimam conficis apologiam. Eam autem in bonam partem factam accipio, ut mihi documentum indictum inde esse arbitrer, quo tuam in scribendo sedulitatem pro viribus imiter. Quibus in rebus, sicut in reliquis virtutibus, cunctos profecto mortales aut vincis aut aequas. Quod si rariores fortasse quam velles a me literas accipis, humanitatem tuam rogo atque oro, suavissime Praeceptor, ne propterea mihi succenseas, aut amoris parvitati ascribas. Nam cum sim in scribendo natura tardiusculus, certe in vehementer amando nemini cedo, te maxime, cujus dilectionem, amorem, pietatem, reverentiam, charitatemque jam pluribus annis susceptam, non solum conservo, verum etiam indies augeo. Cui enim plus quam tibi debeam, habeo neminem, qui et studiorum, quicquid sint, meorum praeceptor, et optimus jure magister extitisti. Itaque ad te semper

ſemper aſpicio, ad te oculos, ad te animum, cogitationemque converto; et ut te, ſi non aſpicere, ſaltem audire liceat, indagine cuncta perluſtro, ſi quam aut orationem, aut ullum commentarium edideris, unde permagna eruditione tua jocundiſſima lectionis amoenitate ac fructu animus alatur, vegetetur, exornetur, expleatur, ſicuti nuper utriuſque Romae laudationem, hinc primariae parentis, inde filiae; in qua adeo eleganti, magnifico, et generoſo dicendi genere aurea ſeſe attollit oratio, ut in ea nihil quod ad oratorium munus attineat, praetermiſſum exiſtat. Hinc ingenii ſuavitas, hinc ordo rerum aptiſſimus, hinc crebra ſententiarum acumina, hinc elegantiſſimus verborum ornatus: tametſi multum ei deeſſe non ignorem, quod dulci illa et cygnea pronunciatione tua non effertur: Quemadmodum ad Rhodios Aeſchines de ſuo dixiſſe fertur adverſario; quibus hominis eloquentiam admirantibus, Quid, ſi ipſum ſua verba reſonantem audiviſſetis? inquit. Non mediocrem vero fructum inter legendum aſſequor, quod non modo te audire videor, ſed ipſam Byzantii urbem dulce mihi ſpectaculum nutricemque benigniſſimam te duce luſtro. Omnia te narrante recenſeo non minus tua luculenta oratione, quam operum et aedificiorum ſtructura magnificentiſſima templa, regias, circos, aquae ductus, columnas, obeliſcos, portum, urbis ambitum, tuas cupreſſos, et aliquando ſtudioli mei diverſorium, hortum penſilem. Quid Aſiae atque Europae terminum Boſphorum illum Thracium, latamque Propontidem, quibus regia urbs interjacet,

ſeu

ſeu verius temperat, dicam? Deerat hoc ſolum tuorum beneficiorum immortalium cumulo, quibus optime de Italica natione, immo vero de cuncto literatorum ordine, niſi ingratiſſimi eſſe velimus, meruiſti, ut qui Graecarum literarum ad noſtrates reportandarum princeps auctorque fuiſti, [n] earumque jam parentem M. [o] celebrares et ſcriptis illuſtrares tuis, quo facilius intelligeremus et magnopere laetaremur, quod maximas gratias non viliſſimae urbi, ſed auguſtae dignitatis civitati debeamus: tibi vero in primis, qui altiſſimis dudum demerſos tenebris Italos, admota demum veluti ſolis lampade, illuminaſti. Hoc dicit Italia, hoc cunctarum artium fatentur literae, hoc clara teſtantur voce. Eſt vero benignum et plenum ingenui pudoris fateri per quos profecerimus, uti conterraneus meus Plinius ait. Qua in re animadverto ſaepenumero, pater ſuaviſſime, nonnulla pomorum genera auctorum ſuorum cognomina certa fide ſervare, et quaſi quoddam immortalitatis depoſitum ad poſteros haereditario jure tranſmittere. Hinc Maliana, et Appiana, hinc Decumana, hinc Lucullana cognominata ſentio. Cur, cum non minus guſtu ac ſapore ſuaves in Italiam fructus attuleris, hac te gloriae parte et ſempiterna nominis dedicatione fraudemus; quin novella haec literarum et optimarum artium plantaria abs te CHRYSOLORINA cognominemus, et eo magis quod ſuperiora illa quaedam ventris et gulae bellaria, haec vero animorum divinus quidam cibus et

[n] Bail. *earum etiam parentem et.*

[o] *Eſt nomen, ut videtur, urbis.*

alimonia

alimonia ſunt. Sed ne te aliis, ut ſcribis, intentum prolixioribus obtundam verbis, finem epiſtolae faciam, ſi id primum obſecravero, ut me illo tuo eximio et ſingulari amore ames. Vale. Ex Florentia pridie non. Octobrias.

Alia ejuſdem epiſtola ad Barth. de Montepoli de morte et laudibus Chryſolorae: ex eiſdem voll. MSS. Bailiolenſi et Norfolciano.

NUDIUS tertius unas abs te literas accepi, quae tantum mihi laetitiae, tantum feſtivitatis attulerunt, ut nihil ſupra. Significas enim benevolentiae noſtrae memoriam, quam ipſum temporis intervallum et tanta regionum ſpatia nullo videantur modo aut obliteraſſe, aut aliqua ex parte labefactaſſe: quare nihil mihi jocundius, nihil appetibilius eſſe poteſt. Acceſſit ad ſummam gratiam divini Manuelis noſtri veneranda in primis recordatio. Nulla ferme intermittitur dies, quo non ei ſuſpiria et lacrymas, quaſi quaedam mei in illum amoris libamenta proferam. Tanti enim hominis et dulciſſimi patris abſentiam ferre non poſſum. Nec illi doleo, cum quo actum eſſe certiſſime ſcio. Quis enim praeſtantiorem Manuele virum, aut vidiſſe, aut audiſſe, aut legiſſe meminit, qui ad virtutem, ad gloriam ſine ulla dubitatione natus erat? Cui non audita eſt Manuelis ſapientia, aequitas, modeſtia, liberalitas, integritas, manſuetudo, gravitas, religio, prudentia, ſuaviſſimum ingenium, ſumma eruditio, et magnarum rerum ſcientia. Medius fidius hominem non arbitror, qui hujus hominis virtutes et coe-

lestes non audierit mores; qui per universum terrarum orbem maxima omnium admiratione, laude, et veneratione pervagantur. Sed omittamus haec in praesentia, praesertim cum Andreas Julianus, clarus hinc civis et patricia familia natus, ejus laudes eleganter attigerit. Qua de re lactea quaedam extat oratio. Hoc tantum dixisse velim: nihil Manueli meo dolendum esse, cui virtus et laudatissime acta vita reditum in coelos et optimum inter beatos locum peperit, ubi sempiterno fruatur aevo. Mihi vero doleo, qui in tam acerbo illius desiderio constitutus, nullum nisi percrebram de illo memoriam lenimen et moeroris temperamentum sentio. Quocirca si gratam illius viri recordationem sensisse me dixi, vera profecto dixisse me crede. [*In Cod. Norfolciano hic desinit epistola, sed in Bailiolensi adjiciuntur alia, quae sequuntur.*]

Altera literarum tuarum particula petebat, quod et Xaronda meus apertius explicat, ut opus quoddam transcribi tibi facerem, in quo quid de hujus temporis translationibus sentirem sententiam tulisse me aiunt, et, quod deterius est, in eo convertentium errores collegisse. Id quam caeteris gratum sit, ipsi viderint. Mihi certe nulla in alienis colligendis erroribus, si qui forent, causa est. Nullam tetriorem inuri mihi maculam scio. Nam quid inhumanius, quam ut ex hominis alicujus infamia voluptatem aucupari dicar? Quodnam majoris invidiae experimentum de meipso praestare queam, quam ut doctorum hominum laudibus detrectem? Ego malignum me ac improbum fateor necesse est, si quos praedicare, et, quantum in me est, amplificare

plificare debebo, de his non modo male ſentiam, verum etiam ſcriptis perſequar et inhoneſtem meis. Cum eis omnia vel idcirco debeam, quod e ſchola illuſtriſſimi viri et optimi philoſophi MANUELIS, velut ex unius parentis gremio, in decus et laudem exiſſe conſtat.

In eodem vol. MS. Bailiolenſi, et in binis Norfolcianis (num. 70, et 138.) aſſervatur ejuſdem Guarini Veronenſis epiſtola ad [a] Joannem Chryſoloram, Conſtantinopolim miſſa, qua illum conſolatur ſuper Emanuelis obitum. Ex qua delibare quaedam, quae ad Emanuelem ſpectant, omiſſis locis communibus, juvat.

GUARINUS VERONENSIS clariſſimo viro ac dulciſſimo praeceptori Joanni Chryſolorae ſalutem plurimam dicit.

PROXIMIS diebus cum moeſtiſſimus e Conſtantia nuncius de ſuaviſſimi Patris obitu delatus eſſet, quam primum ut eum reſciſceres operam dedi: quandoquidem id ad rem tuam magnopere attinere cenſui: pro cujus commodis et incremento non modo quantum in me eſt, ſed etiam ſuper vires, debeo ob incredibilem amorem tuum et immortalia quaedam erga me beneficia. Eo vero tempore, quo vitam acerbiſſimo caſu amiſit, ne verbum quidem ullum de conſolatione ſuſcipienda feci. Quod ne quis

[a] In Bailiolenſi et in Norfolcianis 138. librarii oſcitantia haec praemittitur inſcriptio: *Ad clariſſimum virum Jacobum Triviſanum functum praetura Veronenſi.* Quae alius alicujus epiſtolae Guarini inſcriptio fuerit.

temere factum arbitretur, consilii rationem mei accipe. Etenim versabam animo charissimum patrem ac virum spectatissimum morte nobis praereptum esse; qualem scilicet praeterita raro conspexerunt secula, et rarius conspiciet futura posteritas. Nam, per Deum immortalem, quodnam laudationis genus in hoc illustrissimo desideras viro? Vis patriam? Est Byzantium urbs antiqua, potens armis, atque uberis glebae, postmodum Romani sedes imperii, et augustae domicilium majestatis, quae talem se civem gloriatur genuisse, a quo maximam ornamenti partem se consecutum esse non ignorat. Prosapiam quaeris? At is ex nobilissima ac honestissima Chrysolorarum familia ut sidus aliquod enituit, quae cum egregiis ac prudentibus viris affluat, tum vero id praecipue habet insigne, ut neminem ferme nisi optimis studiis et liberalibus institutum artibus procreet. Quales autem vitae et disciplinae magistros habuit, testimonio est morum splendor et magnarum rerum scientia, quorum per omnem aetatem laudatissimum dedit experimentum. Divitias cum sui gratia parvi penderat, ita tamen coluit, ut eas ad bonorum omnium commoditatem et honestos converterit usus. Quid reliquas hujus hominis virtutes commemorem? Quas ab ineunte pene infantia et ipsius lactis, ut ita dicam, alimentis imbibit, adeoque provectioris aetatis gradus vixit in laude, et quoties MANUEL CHRYSOLORAS memoria repetitur, veneranda quaedam virtutis imago humanis mentibus offeratur. Omitto privatis in rebus moderationem et diligentiam, in publicis splendorem ac dignitatem, pietatem immor-

immortalisque Dei cultum; quibus in rebus nullis monachis et his quidem religiosissimis concesserit: continentiam, castitatem, munificentiam, liberalitatem, studia in amicos, charitatem in suos, benevolentiam in universos, magnitudinem animi, pro patriae utilitate laborum perpessionem, tolerantiam periculorum, pro cujus salute invigilans atque solicitus quantos errores et peregrinationes susceperit, magna ex parte orbis terrarum testis est; quamque praestans acumen ingenii, praeclara omnium rerum et optimarum artium eruditio, uberrima totius antiquitatis notitia, qui sermo, quae bene beateque vivendi praecepta: qua quidem in re cum ab eo multa copiose, prudenter, acuteque conscripta extant, tum vero plurima ab ipsis ferme incunabulis usque in extremum spiritum exempla edidit: quibus superiores omnes philosophos aut aequavit aut antecessit. Perpaucos enim invenies, in quibus, sicut in MANUELE nostro, vivendi consuetudini consonaret oratio, et qui pares moribus sermones agerent. Idque cum nonnulli principes ac reges tum Romani pontifices minime videntur ignorasse, qui non parum felicitatis et ornamentorum se comparasse judicarunt, quod secum celeberrimum virum MANUELEM convixisse licuisset. Hunc in modum Platoni Dionysium, hunc in modum Aristoteli Alexandrum a consuetudine devictum accepimus: hunc etiam in modum, si famae creditur, Numae Pompilio quondam praeceptorem extitisse Pythagoram. Hujus equidem tam singularis viri jacturam, immo verius coeleste lumen extinctum, cum mecum revolverem,

tantae ſeſe animo penitus effudere tenebrae, tam profundum allatum eſt vulnus, ut dolore correptus obſtupuerim, ſteterint comae, et vox faucibus haeſerit, ita ut nullum tibi conſolationis aut leniendi doloris verbum facere ſaepenumero tentans potuerim: Nec ſi potuiſſem, tempeſtiva per id tempus veniebat conſolatio. —— Quemadmodum igitur te PARENTIS caſum aegerrime tuliſſe ac deploraſſe hactenus probaverim, erat enim tuae pietatis officium, ita ſi pertinaciter pergis, et lugendi mediocritatem minime ſervaveris, incuſare te audebo. Illud enim non ab eruditiſſimi viri dignitate, ſed quadam potius mollitie videtur emanare. Ego vero tua vehementer intereſſe judico, ut qui in omni doctrinarum genere verſatus Graecam pariter et noſtram linguam illuſtras, inſigne aliquod et tuis dignum ſtudiis experimentum edas, omnibus in rebus decorum ſervans. —— Non ſolum pro equeſtris ordinis dignitate, verum etiam pro tuae familiae cognomine, nihil indecorum ac humile facere debebis. —— Ut a te PRAECEPTORE optimo didici, quatuor ex rebus rectum conſtat conſilium; ut aut adverſos vites incurſus; aut, quod depravatum eſt, corrigas; aut minora deligas incommoda; aut, quod effugere nequeas, infracto et virili ſuſcipias animo. Admonuiſti ſaepenumero, memini, ne in tanta mundanarum rerum varietate et adumbratorum bonorum inconſtantia quicquam ſperare firmum ac ſtabile mortales auderent. —— Imo vero quis eſt, qui pro hoc divino homine revocando et ſuas non profudiſſet lacrymas et alienas argento et denique pretioſa ſupellectile non

non conduxiſſet. —— Is cum amore virtutis et diutina conſuetudine caſtigatos ſenſus et obtemperantes rationi fecit, cui dubium eſſe poteſt quin ad philoſophiae miniſterium, ſicut a Platone didicerat, corpore uſus ſit? — Nec vero quod ante diem e vita diſceſſerit, te diſcrucies et angoribus conficias opus eſt, ut qui diutius ſupereſſe potuiſſet. Non enim quae longiſſime, ſed quae cum honeſtate tota acta eſt, laudatur aetas. — Optimas ego ſemper judicavi arbores, quae plurima et generoſa paucis annis poma ediderunt, ſicut a Manuele noſtro factum eſt, quod de plurimis ac maximis unum dicam. Alio enim loco tota hominis explicanda vita eſt. Tantum Latinae linguae ſplendoris et dignitatis reddidit, ut quoad in Italia, imo in toto terrarum orbe, humanitatis et doctrinae ſtudia colentur, immortalis duraturus et per doctorum ora volaturus ſit. Tales illi ſtatuae literariae dedicabuntur, tales imagines, quas nulla temporis obſcuratura ſit oblivio: qualis egregia illa funebris extat oratio, quam meus nuper Andreas Julianus, et patricio genere, et ſumma virtute praeditus, non minori prudentia et ingenii ſuavitate confecit. —— Plurima ſunt, ad quos tua pertinet incolumitas, patria, uxor, liberi, amici, propinqui, quibus ſalus tua maxime debet eſſe praeſidio. Vale, decus rerum. Ex Venetiis viii. Kalendarum Septembris; iterum vale.

Ejuſdem GUARINI *epiſtola ad Jacobum de Fabris. Ex cod. Bailiolenſi.*

SI vales, gaudeo. Memini, cum nuper in MANUELIS ſermonem, cujus memoriam libens uſurpas, veniſſemus, multaque praeclariſſima de homine illo pene divino tum dicta, tum facta, pene certatim pro jure noſtro laudaſſemus, tandem abs te rogatum, imo vero juſſum diſceſſiſſe, ut illud epigramma, quod paulo ante in nobiliſſima civium noſtrorum corona retuleram, meis ad te literis deſcriberem. Gratiſſimum profecto hujuſcemodi fuit imperium, non ſolum quia digitorum meorum ſoporem et omnem ſcribendi negligentiam expuliſſe viſus es, quanquam id maximum eſt, ſed etiam quia ut de MANUELE ſuaviſſimo imprimis homine, ſummo viro et eruditiſſimo philoſopho, ad te ſcriberem admonuiſti. Qua nulla tum gravior, tum ad dicendum gratior afferri materia poterat. Saepenumero magnificas hujus viri laudes aggreſſus, tentare volui poſſentne hiſce literulis meis, et ingenioli parvitate neſcio qua ita celebrari, ut qui pro ſua virtute impraeſentiarum vivus docta per ora volitat, ejus ſaltem veſtigia poſteritati ſervarentur. Indignum enim ingratumque cenſeo, ut cujus ope ac induſtria non modo loqui, verum etiam eloqui didicerimus, is ullo involvatur ſilentio. Cumque pro immortalibus erga noſtros beneficiis, ut ſemper decantetur ac illuſtretur, effecerit, injurii ſimus profecto, ſi, quantum in nobis eſt, eum hac gloriae parte privemus. Quam iniquiſſimum et

illud

illud eſt, ut qui ſua cura, labore, ſtudio, vigiliis, opera magnificentiſſimos vetuſtiſſimoſque philoſophos in tenebris ac morte jacentes in lucem vitamque ſuſcitarit, ejus nomen in obſcuro verſari ac perire patiamur? Caeterum magnitudine dicendorum ac rerum pondere oppreſſus ſuccumbo. Nam quis nobiliſſimam ejus familiam pro dignitate explicaverit, quae vetuſtate et ampliſſimorum hominum multitudine nulli ſecunda ſatis magnum implere volumen poſſit? Quid auguſtam dices civitatem? Cujus magnitudinem et excellentiam vel paucis cognoſce. Orbis terrarum Europa, Europae Graecia, Graeciae regina urbs Byzantii eſt. Quid prudentiam, magnarum rerum ſcientiam, doctrinam, eloquentiam, ingenii ſuavitatem, religionem, bene vivendi conſuetudinem et integritatem? Quibus ſe tum praeſentibus tum poſteris quaſi quoddam conſtituit ſpeculum et exemplar. Taceo animi magnitudinem, laborum ac periculorum tolerantiam, quorum omnium ſingula magnum defatigare poetam poſſe contenderim, et oratorem primarium. Quocirca hactenus me ſponte retraxi, ne cujus amplificare nomen ſtudeo, diminuam. Omnes enim ferme pro verborum menſura res ipſas metiuntur. Ardua praeterea et labore maximo referta res objicitur, ut ita me dicendo geram, quo ſatis lectori factum eſſe intelligam, praeſertim cum haud ſatis conſtantem futuram utrinque veritatem eſſe confidam. Nam qui ſingularem MANUELIS ſapientiam et incredibilem virtutem cognitam habuerunt, non pro hominis merito, ſed diminute omnia prolata fuiſſe dicent, nec quemadmodum ejus

ejus amplitudo poſtulabat, enarrata. At inexperti et factorum ignari quamprimum ſcriptis detrectabunt, quamplura ficta et vero majora eſſe diſputabunt; praecipue ſi qua ſupra eorum naturam et vires geſta intellexerint. Id enim unicuique natura datum cernimus, ut eo uſque alienas laudes aequo ferat animo, quoad ſuum conſcendere poſſe putat ingenium. Quem vel ex hac hominum mediocritate dabis, qui parem Scaevolae et Ageſilai patientiam, Socratiſque in contemnenda morte, et Deciorum in ſuſcipienda laetitiam, ſcriptorum nugas et figmenta eſſe non aſſerat? Subinde tamen admonitus nova quadam interdum cogitatione revocor, indigniſſimum exiſtimans, ut cum perfectus homo MANUEL, et omni ex parte cumulatus, maximas certatim praedicationes meruerit, ne minimas etiam aſſequatur. Praeſtat enim ingenium quam voluntatem aut mores improbari. Si quid decrevero, modo ſuperſit otium, quam primum fies a me certior. Haud ignarus ſum quam gratum, quam jocundum, quam expetibile tibi futurum ſit, cum laudes MANUELIS accipies, amantiſſimi quidem ac dulciſſimi praeceptoris mei, honorificentiſſimi autem hoſpitis tui. Vidi enim quantum ea laudatione oblectatus es, quam de illo tam eloquenter, tam erudite nuper edidit prudentiſſimus ac peritiſſimus ANDREAS JULIANUS noſter, poſt quem tacere fuiſſet optabile, niſi ejus de quo dico MANUELIS vitam per ſingulas ipſius partes ab incunabilis explicare mens eſſet. Ipſum igitur interim epigramma ſuſcipies, quod e Conſtantia graviſſimus ac eruditiſſimus vir P. PAULUS VERGE-

RIUS

RIUS ad me misit ab eodem, ut arbitror, confectum [a].

In aliis epistolis suis nondum editis, quas in variis legi bibliothecis, honorificam Manuelis mentionem facit Guarinus. Epistola nuncupatoria ad Robertum Rossum versioni vitae Flaminii ex Plutarcho factae praefixa: " Vir antiqua " virtute ac disciplina praestantissimus, et ae- " tate illa clarissimus, ex cujus opera et libe- " ralitate manaverit quicquid Graecarum tem- " poribus istis literarum Itali hauserint." Epistola ad Franciscum Barbarum, qua dicat ei Plutarchi Dionem a se Latine versum: " Illud " autem inprimis, ornatissime mi Francisce, " postulo, ut nequicquam legere prius inchoes, " quam suavissimo et doctissimo praeceptori " meo Manueli Chrysolorae Virgilianum decan- " tes illud:

" Semper honos nomenque tuum laudesque
" manebunt.

" Quoniam cum praeter caeteras Italiae cala- " mitates immensas etiam tenebras atramque " noctem Graecae ignoratio disciplinae late spar- " sisset, is ex insita benignitate et ingenii excel- " lentia non parvum splendorem attulit homini-

[a] Epitaphium, ut a Guarino describitur, discrepat aliquantulum ab isto quod supra posuimus: sic enim se habet: " Ante ar. " sit. est D. Manuel. Chrys. etc. (ut supra) qui temp. gen. " Conc. Constantiensis * d. ob. ea aestimatione. XVI. XI. " Maias conditus est, anno incarnati Verbi MCCCCXV."

* Aliud exemplar epistolae Guarini habet *Constantiae*.

" bus

bus noſtris, et ad quos priſtina literatura longum per intervallum profuga hujus clariſſimi viri ductu et auſpicio redire quaſi poſtliminio coepit. Praefatione verſionis Plutarchi de liberis educandis, ad Angelum: " Qua in re abs te " peto, et magis atque magis oro, ut illuſtriſſi- " mo inprimis Manueli Chryſolorae gratias " habeas, ſuumque attollas ad ſydera nomen. " Quum ejus viri opera ſimul et humanitate " factum eſt, ut Graecarum ſplendor literarum " ad noſtros redierit homines. Quos ob earum " ignorationem non parvae dudum involverant " tenebrae." In vita Platonis: " Aemulatio- " nis tamen inter eos (Platonem et Xenophon- " tem) ſigna extant, quae rectiuſne voluntas, " minime ſincera, ut multi putant, an laudis " certamen et gloriae, ut ſapientiſſimus philo- " ſophus et modeſtiſſimus homo praeceptor " meus Chryſoloras judicabat, magni viri vide- " rint." Epiſtola ad Poggium in cod. Bailiol. " Magnus vir et excelſus, quemadmodum prae- " clare Manuel noſter definire ſolebat, pro ſa- " lute publica labores et pericula ſuſcipit, cujus " merces eſt gloria et mens ſibi conſcia recti." Epiſtola ad Franciſcum Piſanum, Venetum, praetorem Veronenſem: " Haud injuria vir " doctus et ſapientiſſimus philoſophus Manuel " Chryſoloras malorum ſentinam et ſomnorum " habitaculum appellabat, quod aerumnarum " et vanitatis referta eſſent omnia." Oratione denique MS. (ut alia in praeſenti miſſa faciam) in principio Rhetoricae habita: " Princeps in- " genii literarum ac virtutis Manuel Chryſo- " loras."

Aſſer-

Aſſervatur in bibliotheca coenobii Camaldulenſium, Fontis Boni in agro Florentino ſiti, Guarini ejuſdem collectio variorum elogiorum auctorum illuſtrium de Manuele Chryſolora; in qua habetur ipſius epiſtola ſupra deſcripta ad Jacobum de Fabris, ſive, ut ibi legitur, ad Jacobum de Fabio, juriſconſultum Veronenſem. Quam collectionem exinde deſcriptam penes ſe habet eruditiſſimus Mabillonius.

Jannotius Manettus Florentinus, alius ex illius diſcipulis, oratione MS. funebri in Leonardûm Aretinum, ſuaviſſimam Chryſolorae linguam depraedicat: aitque " dici non poſſe, quam " brevi tempore (poſtquam Florentiam adve- " niſſet) fama illius Atticae eloquentiae Atti- " caeque doctrinae in univerſam civitatem mi- " rabiliter percrebuerat."

Idem Manettus in Boccatii vita MS. " Non " multo poſt Boccatii obitum complures docti " homines una emerſerunt, qui univerſum La- " tinae linguae campum florenti aetate longius " pervagati, recenti Petrarchae et Boccatii do- " ctiſſimorum hominum exemplo Graeca ipſa " adoriri non dubitarunt. Unde vehementi " eorum diſcendi deſiderio ſatisfacere cupientes, " doctiſſimum quendam virum Conſtantinopo- " litanum nomine Emanuelem e Conſtantino- " poli, ubi degebat, Florentiam uſque non fine " magnis variarum rerum pollicitationibus ac- " cerſiverunt, accerſitumque privata et publica " mercede aliquot annos diſcendi gratia eo uſ- " que retinuerunt, quod plures exinde doctiores " emanaverint. Quid plura de Graecis ſtudiis " dixerim, cum eorum ortum progreſſumque

" longius

" longius enarrasse videamur quam ab initio " putaramus? Hic est ille Emanuel Chrysoloras, a quo multi peregregii discipuli primitus " profluxerunt, qui postea peregrinam Graecorum linguam non modo per Etruriam, sed " per nonnullas etiam nobiliores Italiae partes, " quasi novum literarum semen ita disperserunt, " ut parvo post tempore paulatim crescens, jam " usque ad nostram aetatem mirum in modum " germinasse videatur."

Jacobus Angelus, ipse itidem Chrysolorae discipulus, cuique in primis debemus, quod Florentiam ad Graece docendum invitatus fuerit, in MS. Praef. Versionis suae Latinae Geographiae Cl. Ptolemaei ad Alexandrum V. Pontificem: " Geographiam, hoc est, terrae descrip- " tionem, auctor hic noster hoc omne opus " Graece nuncupat, quam appellationem vir " seculi nostri doctissimus Manuel Constantino- " politanus, suavissimus literarum Graecarum " seculi nostri apud nos praeceptor, dum in elo- " quium Latinum id transferre ad verbum in- " cipit, non mutavit: sed nos in Cosmogra- " phiam advertimus id, quod vocabulum, licet " Graecum etiam sit, tamen apud Latinos ita " usitatum est, ut jam pro nostro habeatur. " Credamusque virum eum, si id quod trans- " tulit, emendasset, omnino illud in Cosmogra- " phiam mutaturum fuisse." Ex quibus verbis colligitur Chrysoloram Ptolemaei Geographiae partem in usum suorum discipulorum Latine vertisse.

Ejusdem Jacobi Angeli ad illum epistola, de Gregorii XII. electione scripta, servatur Florentiae

tiae in bibliotheca Sanctae Crucis, quae domus est Minorum Conventualium.

Joannes Calderia Venetus, in libro De praestantia Venetae politiae, scripto anno 1473, sed necdum edito, in capite De rhetorica, ubi refert quantum ea, et quibus magistris, urbs Veneta exculta sit, postquam locutus fuisset de Gasparino Pergamensi, haec subdit: " Postea vero " Emanuel Graecus ita utrasque rhetoricae par" tes Graecas atque Latinas complexus est, ut " Graeci Latinique homines nostris cedere " oratoribus facile credantur."

Ab elogiis Emanuelis ad alia propero. Eodem tempore quo in Italia docuit Emanuel, illius exemplo excitatus in Italiam concessit, vel illum comitatus est, ibique Graecas literas professus est JOANNES ille CHRYSOLORAS, ad quem extat Emanuelis epistolium Graecum superius memoratum, ipsius Emanuelis nepos et discipulus; et hoc in causa fuit, quod Aeneas Sylvius, in epistola supra citata, ipsum Emanuelem JOANNEM CHRYSOLORAM, errore facili, nominat. In Italia docuisse Chrysoloras DUOS certiorem me fecit Guarinus Veronensis in praefatione MS. traductionis suae Vitarum Lysandri atque Syllae, ad Leonellum principem Estensem; in qua haec leguntur: " Res autem ferme obscu" riores erant propter superiorum seculorum vel " ignaviam vel calamitatem, vel utramque, qui" bus tanta literarum jactura importata est, ut " nisi Latini [a] mendicent ab Graecis, cum alia " permulta, tum clari quondam homines, jaceant " in tenebris sit necesse. Quocirca ingentes

[a] MS. Latina *mendicem*.

" UTRIQUE CHRYSOLORAE grates haben-
" dae sunt, laudesque ampliandae: quorum be-
" neficio, industria, studio, et doctrina tot
" magnos homines ex obscuritate ad lucem, e
" morte ad vitam, e silentio in praedicationem
" revocatos intuemur." Idem docet in prooemio MS. translationis Calumniae Luciani, ad Joannem Quirinum patricium Venetum scripto, ubi et alterum illum fuisse Emanuelis NEPOTEM diserte testatur. " Sed inter legendum
" (inquit) quoddam Luciani elegans occurrit
" opusculum. Illud idcirco, quod in ipsos ca-
" lumniantes extat, e Graeco tibi sermone in
" Latinum verti, ubi si quid tua gravitate dig-
" num eluxerit, gratia erit UTRIQUE refe-
" renda CHRYSOLORAE, viris aetatis nostrae
" clarissimis, AVUNCULO [q] scilicet et NEPOTI;
" ex quorum industria pariter et diligentia de-
" rivatum est, quicquid Graecarum hodie lite-
" rarum ad nostrates affluxit." Se utrique fuisse discipulum his verbis ostendit epistola ad Leonardum Justinianum, quae legitur in cod. Bailiolensi, ubi se cum Emanuelis, tum Joannis in urbe Constantinopoli fuisse discipulum indicat:
" Ut alios taceam meritos bene de me Venetos,
" Paulus Zane, e civitatis primoribus unus,
" cujus exhortatione, ductu, liberalitate Byzan-
" tium petens, ad Graecarum me literarum dis-
" ciplinam contuli, et sub utroque Chrysolora
" quantulumcunque operae impendi." JOANNIS rursus meminit in epistola alia ejusdem voluminis ad incertum scripta: " JOHANNES

[q] *Avunculus*, ut solet, *pro patruo*.

" quoque

"quoque CHRYSOLORAS et doctissimus et "prudentissimus hac aetate homo, et vere patruo Manuele dignissimus, animo connubia "complexus est, et ita complexus, ut ea nihil "obstiterint, quin post maritalem copulam "plurimos disciplina bonis artibus ac virtute "erudierit, ornarit, melioresque reddiderit; "patriae, suis, sibi consuluerit, et omne officii "munus executus sit." Neque alius erat Joannes ille Chrysoloras, ad quem mittitur a Guarino epistola superius ex parte posita, quem appellat is PRAECEPTOREM suum. Ad illum vero videtur Guarinus scribere tanquam ad Emanuelis FILIUM, et Emanuelem appellat illius PARENTEM, quia fuit Emanuelis ut nepos, sic quoque discipulus, alumnus, et haeres. Eodem modo appellat idem Guarinus Emanuelem PATREM suum, et non modo PATREM, sed et PARENTEM, quamvis tantum illius discipulus fuisset; ut in praefatione MS. versionis vitae Flaminii ad Robertum Rossum condiscipulum suum: "Ille communis utrisque "PARENS, dusciffimusque praeceptor." Idem quoque fuit JOANNES CHRYSOLORAS ille, quem una cum Emanuele celebrat in oratione modo edita Andreas Julianus. Loquitur de illo Julianus tanquam viro apud Italos clarissimo, et discipulum fuisse Emanuelis apertissime testatur: et quamvis illum appellat Emanuelis, non filium, sed diserte necessarium, illius tamen haeredem fuisse subindicat, cum dicit illum "Emanuelis familiae ornamenta "lacerata peneque extincta clara sobole refecturum." Hunc autem [r] Allatius aliique non-

[r] Adv. Creyghtonum.

nulli perperam confundunt cum JOANNE CHRYSOLORA illo, cujus meminit Phranzes, Barlaamo et Palamae aequali: Qui forte ipsius pater fuit, vel nostri saltem Emanuelis. Utroque fuisse seniorem constat.

Ejusdem JOANNIS CHRYSOLORAE discipulus Constantinopoli atque gener fuit Franciscus Philelphus, qui prius Emanuelem ipsum praeceptorem Venetiis nactus fuerat. Errant enim Trithemius, Jovius, aliorumque post eos longum agmen, qui Philelphum ipsius Emanuelis filiam uxorem duxisse tradunt. Monet Philelphus in epistola ad Marcum Lypomanum, se duxisse "illius Chrysolorae filiam, quem non "Latini minus admirantur quam Graeci." Et socero suo notos fuisse viros Italiae doctos eorumque ingenia moresque perspectos, testatur epistola ad Nicolaum Nicolum Florentinum: "Ego te, Nicolae Nicole, vel ex [t] usque Con-"stantinopoli ex Chrysolora socero meo sapien-"tissimo clarissimoque viro, quo esses ingenio, "quibus moribus, ad unguem didiceram. Cum-"que postea in Italiam revertissem, eadem haec, "etiam plura, audieram." Hunc alium fuisse ab Emanuele clarissime inde evincitur, quod Constantinopolim non profectus est Philelphus nisi aliquot annis post Emanuelis obitum. Constat enim ex illius epistolis illum Constantinopolim profectum fuisse anno MCCCCXX. Quin et Poggius in Invectivis Philelphi socerum Joannem Chrysoloram diserte nominat. Ibidem

[t] Pro *in urbe Constantinopoli*. Sic epist. ad P. Perleonem, *Ac mihi ab usque Constantinopoli perfamiliarem*."

illum

illum doctiſſimum atque inſignem equitem, divitemque appellat. Errat [t] Ger. Voſſius, cum dicit, Philelphum " Hecatoſtichorum libro IX. " ſat. VII. et epiſtola ad Nicolaum anno " MCCCCXXXVII. teſtari ſe generum fuiſſe " EMANUELIS CHRYSOLORAE:" Iis enim in locis Chryſoloram ſimpliciter nominat, non adjecto Emanuelis praenomine. Sed de Joanne Chryſolora nihil unquam inaudiverat Voſſius.

Obiit Joannes circa annum MCCCCXXV. ſaltem ante annum MCCCCXXVII. ut patet ex Philelphi epiſtolis, qui teſtatur ſe poſt ſoceri ſui obitum Chryſococae fuiſſe diſcipulum. Ex eodem quoque cognoſcimus duxiſſe illum uxorem, dum in Italia commoraretur, mulierem nobilem Piſanam ex familia Auria. Ait enim, in epiſtola praecitata ad Lypomanum, " accedere ad generis uxoris ſuae vel bonitatem vel claritudinem, quod nata eſt ea matre, " quae et Auria ipſa ſit et mulierum omnium " pudiciſſima atque optima." Hecatoſtichorum Lib. VI. Sat. III. poſtquam domus Chryſolorae nobilitatem decantaſſet, de matre conjugis ſuae Theodorae haec ſubnectit:

Hoc, Theodora, genus genitor tibi caſta ſuperbum
Tradidit, at genetrix claris majoribus orta
Non minus auget avos: quos proles Auria magnis
Inſignita viris, Italae fax ultima Piſae

[t] Hiſt. Lat. III.

Horrisoni domitrix pelagi, decorata triumphis
Millibus, et totum late celebrata per orbem
Progenuit.

De ejusdem Joannis Chrysolorae conjuge Manfredina Auria, duabusque ejus filiabus, in captivitate a Turcis detentis, meminit idem in epistola quadam anni MCCCCXLIV. "Socrum "mihi charissimam Manfredinam Auriam nobi- "lissimam ac prudentissimam foeminam ac duas "ejus ac soceri mei Joannis Chrysolorae prae- "stantissimi equitis aurati et eruditissimi viri "filias meorum quatuor filiorum materteras in "obscuram servitutem actas audio." Ad Joannem hunc Chrysoloram, atque etiam ad Emanuelem, epistolae quaedam sub nomine Michaelis Apostolii extant in vol. MS. bibliothecae Vindobonensis.

De DEMETRIO CHRYSOLORA, ad quem extat Emanuelis epistola, cum studiis Graecis in Italia excitandis nil navavit operae, parcius dicamus. Idem erat cum illo qui Demetrius Chrysoloras ὁ γȣδέλης, *i. e.* juxta interpretem, Gudelae dominus, dicitur in Historia concilii Florentini. [u] Asservantur illius in bibliothecarum claustris [x] opuscula complura, partim adversus Latinos scripta. In cod. Vindobonensi ascribuntur ei erotemata Grammaticae, perperam procul omni dubio pro Emanuele posito. Concilii Florentini historia modo laudata dicitur "Philosophus summus, Astronomia etiam non

[u] Sect. II. c. 3. [x] Vide Cavi Hist. liter. de Scrip. Eccles. part 2. et Allatium c. Creyghtonum. p. 5, 6.

"parum

" parum exercitatus, et ex intimis amicis fuisse " Manuelis Imperatoris." Ad quem epistolae ejus centum in Bibl. Bodlaeiana leguntur. Memoratur quoque illius vaticinium de ecclesiarum Graecae Latinaeque unione, Vide Sect. III. Cap. 8. Ibidem innuitur fuisse illum natu Thessalonicensem. Et sub nomine Demetrii Thessalonicensis extant illius scripta quaedam in Canisii Antiquarum Lectionum tomo 6.

Virorum quorundam doctorum de Emanuele nostro hallucinationes sciens praetereo. Quae de eo habet eruditissimus noster Creyghtonus, in notis ad Historiam Concilii Florentini, evincunt illum quae ad eum pertinent juxta cum ignarissimis scivisse. Magis placent quae rhetoricatur in illius laudem in praefatione. Erubescendus est in chronologia error clarissimi Henrici Stephani ex Pontico Virunnio scribentis. Statuit ille, in Dialogo de instituendis Graecae linguae studiis, in Italiam venisse Emanuelem Chrysoloram post urbem Constantinopolim a Turcis expugnatam, quod accidit anno MCCCCLIII. Citat in Dialogo de bene instituendis L. Gr. studiis Chrysolorae vitam a Pontico Virunnio conscriptam, in qua ait eum haec referre; fuisse illum " virum illustrem, con-" siliariumque Constantini imperatoris Constan-" tinopolitani, sed capta urbe a Turcis, anno " MCCCCLIII. venisse in Italiam profugum: " Guarinique usum adminiculo, quem Constan-" tinopoli erudierat, Florentiam se contulisse, " literas Graecas profiteri deliberantem." Haec si scripsit Virunnius, scripsit inter dormiendum. Vitam autem Chrysolorae, a Virunnio conscriptam, quam citat Stephanus, puto praefixam esse il-

lius Grammaticae a Virunnio commentario illustratae, quod opus mihi videre non contigit. Consimilis est oscitantia Petri Pantini Toletani praefatione in Michaelis Apostolii adagia, ubi dicit, " secutos fuisse in Italiam Bessarionem " tanquam coryphaeum aevi sui doctorum, " EMANUELEM CHRYSOLORAM, Demetrium Chalcondylem, Constantinum Lascarem, " Grammaticos; philosophos vero Gemistum " Plethonem, in Platonicis Bessarionis praeceptorem: Aristotelicos vero Theodor. Gazam, " Joannem Argyropylum, et G. Trapezuntium " rhetorem; brevi omnes Latine scribendo sic " exercitatos, ut etc."

Illud unum adjecerim, falli eos, qui dicunt literas Graecas ab Emanuele Chrysolora, postquam per annos SEPTINGENTOS exulassent, fuisse Italis restitutas, adeoque innuunt illas in Italia viguisse usque ad finem seculi a salute reparata septimi. In iis sunt Leonardus Aretinus, Guarinus Veronensis, Jannotius Manettus, Philippus Bergomas, Paulus Jovius, alii. Eas longe ante id temporis in Italia penitus defloruisse manifestum est. Majori in errore versatur Platina, cum dicit eas ante adventum Emanuelis per annos jam quingentos conticuisse. Idem in vita Nicolai V. ait, sub ejus pontificatu splendorem aliquem adeptas fuisse has literas, quae sexcentis jam antea annis in situ et tenebris jacuerant. Quasi seculo demum nono desinente, vel inchoato decimo, coepisset literarum iste squalor. Sic Aldus Manutius praefatione in Aristotelis opera physica ait, " annos sexcentos et " plus eo glandes, non fruges, depastos fuisse " homines."

CAP.

CAP. III.

De THEODORO GAZA.

EX isto Emanuelis Chrysolorae fonte per universam Italiam scaturiverunt literae Graecae, et ab ejus quoque discipulis quibusdam publice doceri coeperunt diu antequam in Italiam concederent, ibique hanc linguam profiterentur ulli alii Graecorum; ut a Victorino Feltrensi, Guarino Veronensi, Petro Paulo Vergerio, Omnibono Leoniceno, Gregorio Tiphernate, Francisco Philelpho, Joanne Aurispa, etc.

Annis xv. post Chrysolorae obitum, nempe anno Christi MCCCCXXX. urbe sua patria a Turcis expugnata, cujus excidium descripsit Joannes Anagnosta, in Italiam profugit THEODORUS GAZA, sive GAZES, Thessalonicensis (nonnullis male, Atheniensis) juvenis tum aetate, honesto loco natus. Errore insigni versatur Genebrardus, cum in Chronico scribit "Thessalonicam Venetis ereptam fuisse anno MCCCCXLIV. eaque clade motum Theodorum, aliosque doctos viros, relicta Graecia in Italiam se contulisse, et linguam Graecam propagare illic coepisse."

In Italiam cum appulisset, Victorino Feltrensi, qui Mantuae docuit, magistro usus, adeo diligenter Latinas literas addiscebat, ut utraque lingua brevi clarus haberetur.

Ex Francisci Philelphi epistola ad Catonem Saccum jurisconsultum, data VIII. cal. Nov. MCCCCXL. colligitur illum tunc temporis Senis fuisse versatum, honesta aliqua conditione linguam Graecam publice professurum. Nam Senis tum, nisi fallor, jus profitebatur Saccus. Quem sic alloquitur Philelphus: "Hodie mihi "redditae sunt literae a THEODORO GAZA, "viro sane tum ingenio, tum facundia singu-"lari, ac plane digno, quem non modo dili-"gamus, sed etiam amemus. Quid velit, in-"telligo. Rem quantum erit in nobis ex sen-"tentia consequetur. Sed tua et ope et opera "opus est," etc. In alia ad eundem epistola, scripta eodem anno pridie nonas Nov. "Quod "ais (inquit Philelphus) apud senatum nostri "disertissimi Theodori Gazae mentionem ha-"bitam fabulae. Nunquam Philelphus didicit "verba dare, non modo amicis, sed ne inimi-"cis quidem. Nulla mihi prorsus spes est, ut "vir iste publica pecunia ob id muneris done-"tur. Causam diebus proximis ad te scripsi. "Scribis me a Theodoro *tres ad meam unam* "*epistolam literas accepisse*. Non tres dun-"taxat, sed mille et amplius literas accepi: "Nam unis illis, quas literas ad me dedit, per-"multa elementa perscripta sunt. Quare non "*tres* posthac, *ternas* dicito; si et Priscianum "et Tullium, quam et Bartholum et Baldum "sequi malueris. Ego, inquam, cum binas "ad Theodorum nostrum literas in hunc diem "dederim, unae tantum sunt mihi ab eo red-"ditae," etc. Rursus in epistola proxime sequente, ad Jacobum Cassianum eodem die data:

"Venit

"Venit iſtuc nuper (ut ſcis) Theodorus Gazes, "vir certe et diſertus et eruditus: quem, etſi "certo ſcio, non amabis ſolum, ſed cumula- "tiſſime amabis, tamen mea etiam cauſa velim "ita ames, ut nulla prorſus fieri queat ad amo- "rem acceſſio. Hoc mihi erit tam gratum "quam quod omnium maxime."

Concilio Florentino, quod anno MCCCCXXXIX. celebrabatur, interfuit. Ferrariae demum conſedit, ibique multos annos tanta gloria docuit academiae rector, ut etiam poſt diſceſſum inde ejus, atque etiam mortem, ſolerent literaturae humanioris ſtudioſi domum ejus nudo capite venerari. Grammaticam ſuam Graecam ibi praelegebat; Academiae Ferrarienſis rectorem evaſiſſe fidem facit Ponticus Virunnius: cujus haec verba ab Henrico Stephano [x] ſunt prolata: "Amici erant Andronicus, praeceptor noſtri "Georgii Vallae, et Theodorus Gaza Mag- "nificus rector gymnaſii Ferrarienſis fuit. "Cujus domum docti adhuc nudo capite vene- "rantur, ex memoria tanti viri, coram thermis "divae Agnetis." Subdubitat Stephanus utrum de Andronico an de Gaza haec locutus ſit Virunnius: at vero de Gaza eſſe ea intelligenda, cognoſcimus ex Michaelis Savanorolae, Leonelli Eſtenſis principis medici, prooemio librorum de balneis ad Borſium Eſtenſem ſcripto: "Theo- "dorus (inquit) Graecus bonarum literarum "doctor, et noſtrae univerſitatis glorioſus re- "ctor." Quinimo illum primum fuiſſe gymnaſii iſtius rectorem et inſtauratorem teſtatur

[x] De bene inſtit. Gr. L. ſtudiis.

Leonardus

Leonardus Gregorius Gyraldus, ipſe Ferrarienſis, in Dialogo poſteriori de poetis ſuorum temporum; ubi inducitur Antimachus de eo ſic verba faciens: " Fuere et Beſſarion et Theodorus " Gaza, viri inter Graecos excellentiſſimi, hic " ex Theſſalonica urbe Macedoniae fuit, quo " veſtra haec civitas Ferrariae gloriari poteſt, " quod inſtaurato in eo literarum gymnaſio " primus ſtudii praefectus et moderator, qui " vulgo rector dicitur, hic creatus fuerit, ubi " et publice Graecas literas profeſſus nonnullas " Demoſthenis orationes interpretatus eſt, ex " quibus ego ab ejus ore viva voce collectanea " legi." Hoc factum ſub Leonello principe, illiuſque auſpiciis, qui principatum iniit anno MCCCCXXXIX. obiitque MCCCCXLIX.

Sunt inter recentiores, qui tradunt illum in tanta paupertate prius vixiſſe, ut niſi eum Dux Ferrarienſis ad ſe vocaſſet, fame ipſi pereundum fuiſſet. Hoc temere vero. Illum tamen in libros tranſcribendos operam impendiſſe intelligimus ex hiſce ipſiuſmet verſiculis:

Καὶ χρήματ᾽ ἄλογος ἄνακτι τῷ Λυδίας νέμει
Φίλελφος ὁ σοφὸς, ἐδὲν οἰόμενος μέγα
Πρὸς κτῆσιν αὐτὴν παντοδαπῶν γε πυκτίων·
Πολλ᾽ ἀλλὰ πάνυ γε, ϗ τόδε ἔχων τυγχάνει
Χειρὶ γραφὲν τῇ χρυσοκόκη τε ϗ ἐμῇ.

Ariſtotelis Politica illius manu eleganter exarata aſſervatur hodienum Venetiis in bibliotheca S. Antonii, a Dominico Cardinali Grimano condita.

Homeri Iliadem ab eo ſibi tranſcriptam, quantique eam fecerit ipſe, commemorat Philelphus in epiſtola anni MCCCCXLVIII. ad Cardinalem Beſſarionem, qui eandem ab eo

" emere

emere volebat: "Eam Homeri Iliada, quam "vir eruditiſſimus Theodorus Gazes exſcripſit "mihi, et eam quidem magna cum impenſa "atque ſumptu, facio tanti, ut ne Croeſi qui-"dem ingentibus illis admirabilibuſque theſau-"ris cuiquam ſim ceſſurus. Te autem, pater "reverendiſſime, majorem in modum miror, "qui me cum ab urbe Conſtantinopoli noris "vel in publico diſcendi ludo, ubi poſt obitum "mei ſoceri Chryſolorae fuimus apud Chryſo-"cocen condiſcipuli, mores arbitreris cum ae-"tate mutaſſe; ut qui unus omnium liberaliſ-"ſimus eſſe cenſerer, benignitatem illam cum "avaritia commutarim. Donare didici ſaepe "permulta, at vendere nihil unquam, praeſer-"tim libros; quibus ſane pretioſius nihil duco. "At hunc Homeri codicem tam charum ha-"beo, tam jucundum, ut vix quicquam in "vita magis. Itaque ignoſce hac in re mihi," etc. Rurſus in alia ad eundem epiſtola: "Etſi "mihi videbar ſatis ad ea tibi antea reſpondiſſe "ad x. kal. Feb. quae de Homeri Iliade ad "me ſcripſeras, pater ampliſſime, tamen quia "literas meas forſitan non accepiſti, repetam "eadem paucis. Idem mihi de libris accidit, "quod homini avaro de pecuniis ſolet: is enim "aut dat nunquam, aut ibi dat, unde plus "accepturum ſe ſperat. Ego nullo pretio ejuſ-"modi codicem ſim daturus; quo aeque de-"lector atque dilectiſſimis meis liberis. Com-"mutaturus autem quo pacto, cum nullum "exiſtimem hodie in ulla diſciplina codicem "reperiri, qui poſſit cum eo comparari? Ita-"que rogo te, atque mirum in modum et oro "et obſecro, ne me prives voluptate mea,

" quam tantam habeo in hujusmodi Iliade con-
" stitutam, ut in ea mihi summum fere bonum
" collocarim," etc.

Exemplar Iliadis a tanto viro exscriptum possidendi Cardinali eruditissimo usque adeo exarsit desiderium, ut nunquam desineret donec aliud tale sibi tandem nancisceretur. Quod nunc Venetiis in ipsius bibliotheca asservatur. In cujus bibliothecae indice haec reperio: " Homeri " Rapsodia a Theodoro Gaza scripta, [additur] " et exposita." Exemplar aliud Rapsodiae, illius manu exaratae, ab eoque consimiliter expositae, reperitur in bibliotheca S. Laurentii Florentina. In bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiensi asservatur Homeri exemplar, cui haec inscribuntur manu recentiori: " Hic liber quon-" dam Theodori archiepiscopi Cant." Viderint alii, utrum inde non ortus sit iste error, quod ad nostrum Theodorum codex olim pertinebat. Utrum manu ipsius exarari potuerit, necne, ex aetate scriptionis facile videre est.

Caeterum viris eruditissimis, temporibus istis, res non insolita fuit, ad munus exscribendi volumina veterum se demittere; id quod animadvertit [a] Matthaeus Bossus, ejusdem seculi scriptor, aliaque complura demonstrant exempla. " Deperiit (inquit Bossus) post inventum for-" marum pulcherrima illa et castigata ars ex-" scribendi, quam tractare docti etiam non " abhorrebant."

Ferraria Romam concessit circa anno MCCCCL. a Nicolao V. Pont. una cum multis aliis literarum Graecarum cultoribus advocatus ad

[a] Epist. 110.

opera

opera Graecorum veterum in Latinam vertenda. Ubi transtulit de novo Aristotelis problemata, a Trapezuntio prius conversa. Unde ingentes inter eos exoriebantur simultates. Bessarionem illic patronum praecipuum nactus est, a quo ἑταῖρος et familiaris in scriptis quibusdam appellatur. Et quia ab eo Trapezuntio in doctrina praeponebatur, idcirco ipsi Bessarioni inimicus factus est, et adversus illum nonnulla edidit Trapezuntius; uti ipse monet [b] Bessarion.

Nicolao V. Pontifice jam defuncto, anno MCCCCℓLVI. derelicta Roma Neapolim ad Alphonsum regem accessit, ut patet ex Philelphi ad Alphonsum epistola hoc anno VIII. cal. Octob. data: "Cum ad caeteros quos habes "doctissimos disertissimosque viros accessisse "audio Theodorum Gazen, non possum equidem non laetari, tibique plurimum gratulari. "Habes enim virum, quo nemo est in universo "Graecorum genere neque doctior, nec eloquentior, nec modestior. Et is est profecto "(ut mea fert opinio) talis tantusque vir, ut "nihil ex eo sis in omni politiore disciplina "frustra desideraturus. Humanitate vero caeterisque virtutibus quantum valeat jam liquido "potuisti ex ejus consuetudine cognoscere. "Tuae autem benignitatis fuerit ita istum tractare atque diligere, ut eos soles, quos maximi "ducis. Nam quicquid in eum beneficii contuleris, et bene et honorifice abs te locatum "brevi intelliges." Et apud Alphonsum honorificum locum obtinuisse, commendatum ab

[b] C. Trapezunt, vi. 3.

Aurispa

Aurispa Antonio Panormitae, regis secretario, cognoscimus ex Panormitae ad Aurispam epistola. "Theodorum tuum, quem mihi tantopere "commendas, scito apud Alphonsum regem, "ut cupis, magnifice collocatum: mihi vero ea "in re quas gratias habeat, si gratus est, ipse "renuntiabit. Certe nos desiderium tuum exple- "vimus, et quidem eo ipso die, quo Theodo- "rus applicuit, ut duplici nobis officio oblige- "tur, et quod bene, et quod cito fuerit expe- "ditus." De eo tanquam apud Alphonsum regem Neapoli versato, verba faciens Jacobus Curulus praefatione in Arriani historiam Alexandri, illum appellat "Theodorum Thessa- "lonicensem, virum summum, et Graecarum "Latinarumque literarum eruditissimum;" aitque illum, et Nicolaum Secundinum, a Bartholomaeo Facio, regis jussu, Arriani libros Latine versuro, conveniri, deque locis difficilioribus consuli solitos fuisse.

Anno MCCCCLVIII. defuncto Alphonso rege Neapoli Romam se rursus contulit ad Bessarionem Card. eoque commendante, sacerdotium in Magna Graecia obtinuit, quod certe [c] satis esset moderato frugique homini, et adversus omnis luxuriae voluptates invicto; pauper tamen et egenus semper mansit, neglecta, dum Romae absens vivebat, ratione totius reditus, et rapacibus Graeculis et Brutiis rei familiaris cura demandata.

De eo hoc vulgo fertur, quod novissime quum nobilissimas lucubrationes in membranis

[c] Jovius.

accurate

accurate perſcriptas Sixto Pontifici detuliſſet; nec pecunia vel ipſius librarii praemio digna redderetur, indignatus ſubagreſte judicium, "Ef-"fugere hinc lubet, inquit, poſtquam optimae "ſegetes in olfactu praepinguibus aſinis ſor-"deſcunt. Atque ita in Brutios ad ſacerdotii "ſacram ſedem ſe contulit, nec multo poſt plane "ſenex fato functus eſt, nec iniqua quidem ſorte, "quum in Graecia natus, et educatus in Italia, "tanquam de utraque lingua bene meritus in "Magna Graecia tumularetur." Haec Jovius. Erant lucubrationes iſtae, tranſlatio librorum Ariſtotelis de Animalibus, quas Sixto IV. dedicat, eumque orat, uti ipſe opus "ederet in uſum pub-"licum; ageretque pro ſua liberalitate, ut pari "ſtudio laborem ipſe ſuſcipere alterum, plura-"que indies afferre hujuſmodi opera poſſit." Pierius Valerianus [d] rem iſtam ſic enarrat: "Theodorus Gaza ſaturnina quadam iniquitate "bonam ſuorum foetuum partem abſumpſit. "Tantae enim ille eruditionis vir, quantae mul-"tis abhinc annis nemo Graecorum, dicere "auſim, etiam et Latinorum fuit, cum divinas "propemodum elucubrationes in Ariſtotelis "Animalia, quam hiſtoriam Latine legendam "repraeſentarat, Xiſto quarto pontifici maximo "nuncupaſſet, ſperans ſcilicet principis ejus be-"neficentia quaeſitum per tot labores vitae ſub-"ſidium non deparcum ſe conſecuturum: ne-"que tamen plures quam aureos quinquaginta, "quaſi magnum ab eo, a quo ſe totum inau-"ratum iri ſperaverat, retuliſſet; ſtudiis in-

[d] Dial. de literatorum infelicitate.

"dignatus

" dignatus ſuis, quod tam parca ſibi laborum " et vigiliarum ſuarum mercis tributa eſſet, " nummos eos primum in Tyberim abjecit, " mox ipſe hujus indignitate rei exulceratus, " inſolabili contabuit aegritudine.

Ad hoc alludit Raphael Volaterranus [e] de eo ſic ſcribens: " Theodorus Gaza patria Theſſa-" lonicenſis, utroque eloquio et ipſe clariſſimus. " Nam et eloquentiae philoſophiaeque ac me-" dicinae ſtudiis hujus facile ſeculi princeps ha-" bebatur, aemulus omnino Trapezuntii. Con-" vertit in Latinum ſermonem Theophraſtum " De plantis, et Ariſtotelis libros De animalibus, " et Problematum: praeterea libros Ciceronis " De ſenectute et amicitia in Graecam elegan-" tiſſime linguam. Hujus igitur virtuti ne-" quaquam par fortuna fuit. Nam urbs Roma " quantum antiquitus hominum extulit ingenia " et virtutes, tanto poſtea ob poſterorum qui " in ea dominantur luxuriam atque deſidiam " contemnit. Viros quoque multos ego ſaepe " memini, et literis et moribus claros, magna " huc expectatione veniſſe, paulo poſt fame " coactos diſcedere. Igitur Theodorus, compul-" ſus et ipſe ob inopiam urbem deſerere, in " Apuliam ſe contulit, ubi paucis poſt annis " ſenex exceſſit ſine liberis, cum eſſet ſacerdos." Philippus Melanchthon: [f] " Theodorum Ga-" zam, bone Deus! quantum virum, aiunt, " cum illos Ariſtotelis et Theophraſti libros in " Latinam linguam verſos pontifici offerret, " codicem exhibuiſſe ſumptuoſius ornatum, ubi

[e] Anthrop. l. 21. [f] Declam. in laudem novae Scholae.

" pontifex

" pontifex interrogans, quanti ornasset librum, " nihil praeter eos sumptus rependit, nulla au- " ctori pro laboribus, quos in difficillimo opere " vertendo exhauserat, reddita mercede." Pontificis ingratitudinem his versibus persequitur Julius Caesar Scaliger in heroibus :

Barbariem qui expugnavi, me barbarus hostis
Expulit ; at pulsus sic quoque victor abii.
Avexi patriam ex patria sub pectore sancto ;
Quae miseranda cani praeda futura fuit.
Invexi Romam in Latium : cognoscite Romam,
Quae belli nullo turbine capta viget.
Pro quibus, ah! meritis, o ter scelerate tyranne,
Qui cauda es, Romae diceris esse caput.
Te vivente, vidente, jubente, miserrimus illa
Pauperie fractus, qua tibi regna canis.
En morior ; morior vero, qua publica cura est
Cuncta pati, et melius post sua fata tegi.
Romule, te jacta ; jacta te, maxime Thefeu :
Vestra est materies terrea ; forma mea est.

Quod de tanta ejus indignatione, deque nummis ab eo in Tyberim abjectis fertur, mihi (fateor) fabulam redolere videtur : quandoquidem testatur Philippus Bergomensis, ejusdem aetatis scriptor, eum " sub Sixto IV. " pontifice praesulante toti Italiae docendo et " traducendo atque componendo, et maxime " Romae, floruisse et obiisse, et cum quae- " dam opuscula edidisset, multoque plura e " Graeco in Latinum transtulisset, ob id mag- " no apud eundem Sixtum in pretio semper " habitum fuisse." At ipso fere initio pontificatus Sixti versionem librorum De animalibus ei dicavit : eumque nuper ad pontificatum

fuiſſe evectum in epiſtola nuncupatoria teſtatur. Et falſum eſſe vel exinde colligi poteſt, quod Hermolaus Barbarus, praefatione in Paraphraſin Themiſtii ad eundem Sixtum ſcripta, tantis illum extollit praeconiis, et praeterea ait illum, ſi diutius vixiſſet, plura fuiſſe in linguam Latinam verſurum. Nec ſi illud verum fuiſſet, videtur Gupalatinus, ipſius Gazae amanuenſis, eidem Sixto, cum tantis Gazae laudibus, dicaturus fuiſſe Ariſtotelis problemata ab eo converſa.

Utcunque hoc fuerit, fato functus eſt vir incomparabilis anno MCCCCLXXVIII. pontificatus Sixti octavo; utrum in Apulia, quod tradunt Jovius et, ante illum, Volaterranus, quos vulgo ſequuntur alii, incertum. Nam Romae illum obiiſſe diſerte teſtantur ejuſdem aevi ſcriptores, [g] Matthaeus Palmerius, Phil. Bergomenſis, et Trithemius; quibus accedere videtur Pierius Valerianus. Hoc ſaltem ſatis conſtat, non Romae, ſed in Apulia, ubi ſacerdotium tenebat, corpus ejus jacere ſepultum. Et ſunt qui tradunt illud Roma illuc fuiſſe tranſvectum; id quod ſubindicat etiam Politianus in illius epitaphio quodam, ubi dicit illum voluiſſe Magna in Graecia jacere.

Ex ejuſdem vero Politiani Epigrammate quodam Graeco ad Demetrium Chalcondylem, qua illum invitat ad literas Graecas Florentiae docendas, videatur colligi poſſe Theodorum Gazam paulo ante obitum relicta Roma Florentiam ſe contuliſſe, ibique eaſdem literas (poſt

[g] Chron. ad annum MCCCCLXXVIII.

Argy-

Argyropylum) fuiſſe profeſſum. Quid enim aliud haec ſonant?

> Ἐξ οὗ δὴ Θεόδωρος οὐρανόνδε
> Βῆ, καὶ ὥς γε χελιδόνος νεοσσοὺς,
> Ματρὸς χερσὶ βρεφυλλίου θανούσας,
> Ἀπτῆνας λίπεν ὧδ' ὑπὲρ καλιᾶς
> Μὰψ δὴν μάστακα τοῦδε προσδοκοῦντας,
> Ὦ Δημήτριε, πάντες ἄθλιοί γε
> Νῦν γουνούμεθα. σὺ δὲ πρᾷος ἐλθὼν
> Πεινῶσιν σοφίης ἐδητὸν ἡμῖν
> Δὸς. σὺ νῦν μόνος εἶ γλυκὺς τιθηνός.

Ex quo utique Theodorus in coelum
Ivit, et ut quidem hirundinis pullos,
Matre pugnis infantuli de medio ſublata,
Involucres reliquit hic in nido
Fruſtra diu cibum hujus expectantes,
O Demetri, omnes miſeri ſane
Nunc ſupplicamus. Tu vero mitis accedens
Eſurientibus ſophiae cibum nobis
Da. Tu nunc ſolus es dulcis nutricius.

Atqui magis credibile videtur de Theodoro haec loqui Politianum, ob damnum quod omnes ubique literarum Graecarum ſtudioſi in obitu tanti viri patiebantur. Apud Boiſſardum, in Iconibus dicitur, "quoſdam tradidiſſe ejus corpus "in GRAECIAM fuiſſe tranſportatum, et ibi "tumulatum ubi ſacerdotium obtinebat." Sed quid illi quidam ſibi voluerunt, aut quid ipſe ſibi voluit, non intellexit Boiſſardus iſte, homo in hiſce literis nihili. Voluerunt haud dubio illi, Gazae corpus Roma, ubi moriebatur, in Apuliam, ſive Magnam Graeciam, fuiſſe tranſvectum, et in loco, ubi ſacerdotium tenuerat,

 ſepul-

ſepultum. Cum addit Boiſſardus, eum obiiſſe Romae, quo ex Graecia venerat, oſtendit ſe exiſtimaſſe, eum Romae primum (quod falſum) poſtquam in Italiam appuliſſet, aetatem habuiſſe.

Ab Aenea Sylvio, in Coſmographia, ubi enumerantur viri eruditi, quos Nicolaus V. Pontifex ad libros Graecos Latine vertendos condignis praemiis conducebat, Gazae nulla fit mentio: illum tamen eorum unum fuiſſe, et Nicolai V. hortatu vertiſſe quaedam, liquet. Dicaſſe illum Problemata Ariſtotelis a ſe Latine verſa Nicolao pontifici, et poſtea ſub Sixto IV. eandem verſionem recognoviſſe atque emendaſſe, intelligimus ex ipſius Amanuenſis, Nicolai Gupalatini, Veneti medici, epiſtola nuncupatoria ad Sixtum IV. verſioni iſti Venetiis editae praefixa; quae ſic ſe habet:

PROBLEMATA Artis emendatiſſima, ut nunc ſunt, Latina lingua antehac non habuit: Nam Theodorus Gazes de Romana lingua optime meritus, quam interpretationem Nicolao V. jam diu dicaverat, emendavit nuper ſub Sixto [h] Pontifice IV. pontifice maximo. Teſtis ego ſum, qui eo dictante ſcribebam, quantum laboris inſumpſerit ſenex doctiſſimus annum continuum in emendandis plurimis librariorum erroribus. Depravati erant certe Graeci codices omnes. Ipſe tamen, exactiſſimo judicio, ut optimum interpretem decet, tum ob linguae Graecae ſibi vernaculae atque Latinae elegantiae peritiam ſummam, tum quia Peripateticae

[h] Sic ſcribit, ad ipſum tamen Sixtum.

ſectae

fectae ftudiofiffimus femper extitit, id in problematis fecit, quod in aliis quidem rebus fieri folet, ut ex multis corruptis ac perverfis quoddam integrum atque optimum factum fit, etc.

Agendae igitur immortali Deo gratiae infinitae funt, quod noftra aetate Problemata nunc intelligi poffint, et ita intelligi, ut Ariftoteles ipfe nunc Latine planeque loqui videatur. —— Hanc autem noviffimam Problematum recognitionem et emendationem cum per impreffivam artem, in cujus laudem multa in prooemio Joannis Damafceni Venetiis impreffi diximus, divulgandam curaremus; tibi, Sixte IV. P. M. quo regnante facta eft, merito dicavimus, etc.

Ad finem operis haec fubjiciuntur: " Expliciunt Ariftotelis Problemata, quae Theodorus Gazes Theff. olim e Graeco in Latinum convertit: Eaque nuper ultima emendatione emendavit."

Sabellicus fubindicat illum fub Nicolao V. illius allectum praemiis, Theophraftum De plantis et Ariftotelem De animalium natura vertiffe. Caeterum conftat illum verfionem fuam Hiftoriae Animalium non ante edidiffe, quam pontificatum fufcepiffet Sixtus IV. De ifta verfione fua fic ipfe fcribit in praefatione: " Mihi vere dicere licet, eam effe omnibus, quae adhuc factae funt, et philofophis ad eloquendum commodiorem, et eloquentibus ad difputandum utiliorem, et utrifque ad Ariftotelis fenfum percipiendum aptiorem —— Latinam orationem fenfum Ariftotelis ita explicare, ut minime Graecam defideres. Eam nihil mif-

"cere, nihil inculcare, nominare uſu veterum
"probatiſſimorum autorum genera animalium;
"ſi quid novi imponit, ita inſerere, ut fami-
"liare cognatumque id quoque videri poſſit:
"ſi quid Graece appellat, id non durum oc-
"currere," etc.

Praeter Hiſtoriam animalium et Problemata, fertur illum nonnullos alios Ariſtotelis libros Latine reddidiſſe, ſed eos combuſſiſſe, quum intelligeret Argyropylum, veterem ſodalem, eoſdem vertendos deſumpſiſſe; ne amiciſſimi hominis creſcenti famae officeret, ſi ad aemulationem odioſa comparatione certaretur. "La-
"tina enim, ut inquit [i] Jovius, ubertate facun-
"dior, et Graecorum modeſtiſſimus hoc facile
"dabat elate ambitioſo, et amplioris fortunae
"percupido, quod ipſe omnis ſemper lucri, et
"praeſentis tanquam evanidae laudis contemp-
"tor extitiſſet."

E Graeco quoque in Latinum tranſtulit Alexandri Aphrodiſiaci Problematum libros duos, Aeliani librum De inſtruendis aciebus, Dionyſium Halicarnaſſeum De compoſitione orationis, et Chryſoſtomi Homilias V. De incomprehenſibili Dei natura: In quarum Praefatione ad Alphonſum regem monet ſe eidem, anno ſuperiori, obtuliſſe Mauricii Imperatoris De re militari libros Latine a ſe converſos. Graeca quoque omnia, quae apud Celſum leguntur, Latinitate donavit, ut Jacobus Conſtantius et Andreas Alciatus [k] teſtantur.

[i] In Argyropylo. Miſcel. l. 1. c. 1.

[k] Citatus ab Hieronymo Magio

A mul-

A multis ei perperam ascribitur Laurentiani tralatio Aphorismorum Hippocratis, uti monet [l] Joannes Manardus.

De literis Latinis in Graecas traduxit non modo Ciceronis De Senectute et Somnio Scipionis libros, qui Graece ex ejus versione aliquoties excusi sunt, verum etiam Michaelis Savonarolae libros duos, De Italiae balneis, ipso teste Savonarola. Apud [m] Bernardum Scardeonium legimus illum Savonarolae Physionomiam a Latinis ad Graecos traduxisse. Sed perperam hoc pro altero isto opere positum esse existimo. Nicolai V. Papae epistolam ad Constantinum postremum Graecorum Imperatorem conscriptam circa annum MCCCCL. ab eo in Graecum sermonem conversam edidit Petrus Arcudius inter Opuscula Theologica Romae MDCXXX. Quae eadem in pluribus visitur Manuscriptis. Ei etiam a nonnullis tribuitur translatio Graeca Commentariorum Caesaris de bello Gallico; quae ab aliis Planudi adscribitur, ab aliis rectius incerto cuidam: de istius enim autore nihil certi habetur.

De proprio, edidit Grammaticam Graecam Graece libris quatuor, et tractatulum itidem Graecum De mensibus Atticis. Quod opus utrumque ab Aldo simul excusum est anno MCCCCXCV. ab aliis saepius.

Opusculum De mensibus Latine interpretatus est anno MDXXXV. Joannes Perrellus Gallus; Qui adjecit Commentariolum De ratione lunae et epactarum secundum Gazam. Errant illi,

[l] Epist. 2. [m] De antiquitate urbis Patavii.

qui ipsi Theodoro tractatum quendam, nescio quem, De ratione lunae et epactarum attribuunt. Istis enim de rebus egit tantum in libello De mensibus. Opusculum hoc perquam erudite atque acri judicio conscriptum esse monent Melchior Sessa et Petrus de Ravannis, qui illud in Dictionario Graeco Venetiis edidere MDXXV. Illud quoque interpretandum suscepisse fertur Heresbachius. Monet autem Theodorus se illud scripsisse anno a Natali Christiano MCCCCLXX.

Grammaticam ejus Latine verterunt, partim Erasmus anno MDXVIII. partim vero Ricardus Crocus nostras, linguae Graecae apud Lipsienses professor omnium primus. Quod etiam praestiterunt Heresbachius et Jacobus Tusanus. Libri duo priores seorsum sunt editi Basiliae MDXL. Quae editio correcta est ad fidem duorum exemplarium, quorum alterum Baptistae Guarini Ferrariae Gaza docente descriptum; alterum Codri Urcei Bononiensis; quorum amborum incorruptam integritatem, editis alteris posterioribus libris se indicaturum pollicetur editor. Servatur Grammaticae exemplar manu exaratum in bibliotheca collegii S. Trinitatis apud Cantabrigienses: item in bibliotheca Vaticana, ubi autor simpliciter nominatur Theodorus Grammaticus. Ipsum Theodori autographum consuli potest in bibliotheca Noribergensi.

Ob praeceptiones hasce Grammaticas, "Vir "citra controversiam doctissimus et aliorum "Grammaticorum facile princeps," dicitur [p] Henrico Stephano. Libros vero posteriores diffi-

[p] De bene instituendis linguae Graecae studiis.

ciliores

ciliores obſcurioreſque eſſe, quam ut a tyronibus intelligi poſſint, apud omnes in confeſſo eſt. Et in paucis quibuſdam labi eum contendit Stephanus: " Mea certe ſic fert opinio, inquit, " eos, qui Graecae linguae rudimenta Graece " tradiderunt, pauca reprehendenda habere prae " iis qui Latine. Ex iis autem, qui Graeco " ſermone in iis tradendis uſi ſunt paulo ante " noſtram aetatem celebres ſunt, Theodorus " Gaza, Manuel Chryſoloras, Conſtantinus Laſ- " caris, Demetrius Chalcondylas: ſed qui al- " tius quam caeteri in docendis quae ad hanc " linguam pertinent penetravit, Theodorus Ga- " za, is et obſcure multa et non ſatis fide " pauca quaedam tradidit."

Grammaticae ejus nihil ſe ſimile in eo genere vidiſſe affirmat Budaeus. Eumque ea laude nulli veterum poſtponendum judicat [p] Robortellus.

Paulus Jovius ait Demetrium Chalcondylem rudimenta Grammaticae publicaſſe, " quod Theodori Gazae liber eadem de arte ſcriptus, " quamvis inſignis, uti provectis et doctis ſcrip- " tus, durior videretur." Melchior Volmarius, [q] judicavit illius Inſtitutiones graviores eſſe quam ut aetati minori recte convenire poſſint: illum nimis in arctum coegiſſe compendium primi libri. " De quarto, inquit, quid attinet dicere? " in quo non ſolum ea, quae de ſuo Gaza nobis " ingenio attulit, ſed illa etiam quae ex Apol- " lonii difficilis et aliorum quorundam libris " non parum multa deſcripſit, dum brevis eſſe

[p] Com. De re poetica. [q] Praef. Gram. Dem. Chalcondylae.

" laborat,

" laborat, aut potius de induſtria ſic obſcura-
" vit, ut non immerito a Graecis ipſis ac ejuſ-
" dem ordinis hominibus jactatum illud ſit,
" Δηλίȣ κολυμβητȣ̃ δεόμενον." Addit " mirum
" nobis maxime videri iſtud debere, quod quum
" Grammaticae ejus praeceptiones in hoc ſint
" inſtitutae, ut ad intelligentiam Autorum in
" primis conferant, has Theodori non niſi ex
" earum lectione, et multa et varia, denique
" accurata ſingulorum nec oſcitante obſerva-
" tione quiſquam ſit intellecturus." Hoc o-
puſculum tamen Grammaticum, non utile mo-
do, ſed etiam neceſſarium eſſe iis, qui provecti
aliquantum harum literarum tirocinium factita-
rint, eſſe omnibus notum agnoſcit.

Valentinus Curio in praefatione editionis Baſilienſis MDXXIII. " Theodorus Gaza in li-
" bris De inſtitutione grammatica rem gram-
" maticam in univerſum miro ordinis compen-
" dio complexus eſt, atqui ſic arcta brevitate,
" ut non rudibus, ſed eruditis prorſus ſcripſiſſe
" haec videatur. Nam cum ubique fere ob-
" ſcuriuſculus ſit, tum locos quoſdam habet,
" praeſertim in poſterioribus libris, vixdum ab
" eruditiſſimis intellectos, et qui juxta prover-
" bium Oedipum aliquando requirant conjecto-
" rem." Adjecit iſte editor in prioribus libris
Eraſmi interpretationem: In tertio vero et quarto interim Conradi Heresbachii, uti ille auditoribus ſuis forte ad verbum enarrabat, interim Jacobi Tuſani atque Croci interpretationem, velut centones nectens, conſarcinavit.

Glareanus in Praefatione Grammatices Urbani ed. MDXXIV. " Cum omnia perpendiſſem,
" certe

" certe primus Urbanus hic, atque adeo com-
" modiſſimus ad eam rem, nec abſque cauſa,
" viſus eſt. Etſi me non latet, quantum vel
" ingenio vel autoritate, denique etiam erudi-
" tione, Theodorus Gaza omnes omnium cal-
" culo antecellat. Verum enimvero quid pro-
" hibet parva etiam magnis comparare? Et
" ſane non qui eruditiſſimus eo in negotio fue-
" rit, mihi tum quaerebatur, ſed qui maxime
" accommodus, et auditoribus adhuc rudibus,
" et negotio pro rudibus ſuſcepto. Quanquam
" (ni fallor) Theodorus ipſe, non tam diſcipu-
" lis ea, quam praeceptoribus ſcripſiſſe videtur.
" Qui viam commonſtravit compendioſam ſane,
" ſed quam non facile quivis apprehenderit,
" ſaltem rudiuſculus, et harum rerum imperi-
" tior, niſi ductore quodam atque common-
" ſtratore."

Ludovicus Vives De ratione ſtudii puerilis:
" Habes Theodori Gazae duos primos libros,
" qui de inflexionibus nominum et verborum
" magno compendio et arte praecipiunt: de-
" hinc accentuum et orthographiae formulas,
" quae in pleriſque conjunctae ſunt, percipies
" conjunctas ex tertio Theodori Gazae: ne to-
" tum illud volumen legendum habeas, mo-
" leſtum, et frugis pleriſque in locis exiguae:
" ſufficient in hoc tempus, quae ſunt illinc
" ab Oecolampadio decerpta.——Gaza in quar-
" to libro difficillime praecipit atque obſcu-
" riſſime, ſecutus Apollonium, et ipſum in pri-
" mis tenebricoſum." Idem De tradendis diſ-
ciplinis lib. 3. " Hinc ad declinanda nomina
" et verba adhibebit primum librum Theodori
" Gazae,

" Gazae, quem Erafmus vertit. —— His ad-
" detur liber fecundus Gazae, in quo illuftrat
" coloribus, quae primo libro adumbrarat folum
" ac delineaverat, Ariftotelem fecutus ac natu-
" ram rerum." Rurfus. " In quo multum
" artis expreffit Theodorus Gaza, Ariftoteli-
" cam quandam praecipiendi rationem fecu-
" tus."

De Grammatica ejus haec habet Conftantinus Lafcaris, in Grammatica fua Graeca, prooemio libri tertii: ἀφ' ὧν ἀρυσάμενος ὁ σοφὸς Θεόδωρος κάλλιςα ϗ ἐλλογιμώτατα τὸ τέταρτον τῆς ἑαυτȣ̃ γραμματικῆς συνέταξε· βραχὺ μὲν, ϗ Δηλίȣ κολυμβητȣ̃ δεόμενον, ἐπαινετὸν δὲ τοῖς εἰδόσι ϗ ἐπωφελὲς, τὰς σκιὰς τῶν παλαιῶν περιέχον. *A quibus hauriens doctus Theodorus optime et elegantiſſime quartum fuae Grammaticae compofuit, brevem quidem, et Delio natatore indigentem, fed laudabilem fcientibus et perutilem, umbras antiquorum continentem.* Idem alibi: ϗ μετ' ἐκεῖνον μετὰ πολλὰ ἔτη ὁ παντ' ἄριςος Θεόδωρος ὁ Γαζῆς τέσσερα βιβλία συνέθηκε κάλλιςα ϗ ἐλλογιμώτατα. *Et poft illum* (Emanuelem Chryfoloram) *multos poft annos omnium optimus Theodorus Gaza* IV. *libros compofuit pulcherrimos et eruditiſſimos.*

Aldus Manutius in Praefatione Grammaticae illius ac Apollonii ed. MCCCCXCV. " Non fum
" nefcius, ftudiofe Lector, hanc Apollonii Theo-
" dorique Grammaticen vifum iri tibi primo
" duriufculam atque infuavem: deinde, cum
" eam accurate relegeris et facilem et jucundam.
" Nam Theodorus, fi dictionem attenderis, vi-
" debitur tibi dulcis, eloquens, et plane Atti-
" cus, nihilque praetermififfe quod fit neceffa-

" rium

" rium volenti Graece dicere. Si vero doctri-
" nam atque ordinem (pace aliorum dixerim)
" solus docere bonas literas, caeterorumque
" Grammaticorum facile princeps," etc.

Gerardus Vossius De arte gram. l. 1. " Om-
" nium doctissime hanc artem libris IV. tra-
" ctavit Theodorus Gaza. —— Is primo qui-
" dem libro agit de literis, et orationis parti-
" bus, praepositione excepta, de qua libro IV.
" Secundo accuratius illo de octo partibus ex-
" ponit, ac, praeter caetera, temporum forma-
" tionem exponit. Tertio considerat accentus,
" quantitatem, orthographiam, et varios bar-
" barismi modos. Quartus est de structura
" orationis, et variis dicendi formis. Interea
" tantus scriptor utilior iis est, qui jam aliquo-
" usque profecerint. Ipse liber primus, bre-
" vitate nimia obscurior est. Longeque priori-
" bus difficilior est quartus."

Denique Grammaticam hancce Theodori tanti aestimabant Jacobus Tusanus, et Lazarus Bonamicus, ut publice eam enarrarent, Parisiis ille, hic Patavii. Helias Andreas Commentario eandem illustravit, maxime ex Apollonio Dyscolo, quem autor potissimum secutus est.

Epistola ejus de origine Turcarum, ad Franciscum Philelphum Graece scripta, Latine ex versione Castalionis impressa est Basileae MDLVI. Prodiit eadem Graece cum Leonis Allatii versione ad calcem Symmictωn Bertholdi Nihusii MDCLIII. Servatur MS. in Thesauro Bodleiano. Refutat inibi Plethonis sententiam.

Scripsit quoque nonnulla adversus Plethonem ad Platonem et Aristotelem spectantia. Quem defendit

defendit adversus Gazae reprehensiones Michael Apostolius Apologia, quae olim extabat in bibliotheca Heidelbergensi, nunc in Vaticana; atque etiam in Bodleiana.

Ibidem [b] servatur Nicolai Secundini ad Andronicum epistola, de Apostolii in Gazam libello, Viterbii Graece scripta MCCCCLXII. Ubi aliae etiam de eadem controversia leguntur epistolae Graecae.

Tractatum ejus De substantia tradidisse se Henrico Stephano monet Sambucus in volumine quodam bibliothecae Vindobonensis.

Commentatiuncula ejus in illud, "omnia a "natura fieri," extat, juxta Indices Labbaeanos, in bibliotheca Regia Parisina: legendum vero; "omnia a natura alicujus gratia" fieri. Bessarion Cardinalis, in Prooemio libri adversus Trapezuntium de isto argumento scripti, monet Theodorum Thessalonicensem, familiarem suum, quum inter confabulandum Plethonis de ea re sententiae repugnaret, vehementer rogasse, ut de isto argumento nonnihil conscriberet. Quod cum fecisset Bessarion, et scriptum in manus Trapezuntii devenisset, contra illud scripsit Trapezuntius, simulans se ignorasse fuisse illud Bessarionis, credidisseque, ipsius fuisse Theodori. Hinc patet errare [c] Leonem Allatium, cum refert Theodorum, Peripateticae sectae defensorem, et Plethonem, Platonis doctrinae perquam studiosum, acriter inter se super ea quaestione scriptis contendisse, antequam sententiam suam Bessarion rogatus scripto aperiret. Nam si ea

[b] Cod. Baroc. 165. f. 146, &c. [c] De Georgio.

de

de re scripsisset antea Theodorus, Trapezuntius non potuisset simulare, se credidisse Theodorum, non Bessarionem, fuisse istius libelli auctorem: cum contra Plethonem, quem ipse impugnavit Trapezuntius, ipse quoque Peripateticus, disputasset Theodorus. Et quidem disputasse Theodorum contra Plethonem non scripto, sed tantum inter colloquendum cum Bessarione, ipse evincit Bessarion his verbis: "Cum Aristoteles "Philosophus naturam quidem statuisset om-"nia alicujus rei gratia facere, veruntamen "nihil consulto agere, quemadmodum ars quo-"que licet sine consilio agat, omnia tamen "alicujus rei gratia facit, Plethon Constantino-"politanus, vir nostra aetate opinionum Platonis "aemulus atque defensor, hanc Aristotelis sen-"tentiam improbandam longe refellendamque "existimavit, et tam artem quam naturam as-"seruit, secundum Platonicorum opinionem, "quae faciunt consulto agere; cui sententiae "repugnans Theodorus Thessalonicensis famili-"aris noster talibus quibusdam argumentis usus "est. Consultationem enim earum rerum esse "dicebat, de quibus, etc. —— Admirari prae-"terea se idem Theodorus dicebat, Plethonem "existimasse paucis quibusdam verbis, et quasi "unica positione, recipi suam sententiam posse, "tot alioquin Aristotelis rationibus adversam, "quae contrariam plane confirmant atque per-"suadent. Et si quid a nobis plenius ea de re "cum aliqua vi demonstrationis dici posset, li-"benter se auditurum ostendebat, utque id, "nisi molestum esset, faceremus rogabat vehe-"menter." Suspicari itaque liceat, Theodorum

rum nihil omnino ſuper iſta quaeſtione edidiſſe, et antedictam Commentatiunculam in codice Pariſino ei tributam, non aliam revera eſſe quam Beſſarionis, quam, tanquam Theodori, impugnavit Trapezuntius.

In Indice quodam MS. librorum Graecorum MSS. bibliothecae S. Laurentii Mediceae, occurrit "Theodori contradictorius CONTRA Beſ-"ſarionem." Scribe, meo periculo, AD Beſſar. (ἀντιῤῥητικὸς πρὸς Βησσ.) Nam contra Beſſarionem patronum ſuum quam merentiſſimum haud dubio nihil edidit Theodorus. Deſignatur forte commentatiuncula modo dicta, quae praedicti ſcripti Beſſarionis defenſio fuerit contra Trapezuntium. Viderint alii.

Epiſtolae περὶ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου, de ſpontaneo et invito, ſervantur Florentiae in bibliotheca Medicea; necnon Venetiis, pluſquam uno exemplari, in bibliotheca S. Joannis et Pauli.

De fato tractatus (forte idem) habetur inter Codices MSS. Iſaaci Voſſii.

De ſuperbia carnis tractatulus, et Prolegomena in rhetoricam, dicuntur extare in bibliotheca Regia Pariſienſi.

Eadem bibliotheca Regia, juxta indicem quendam, quem vidi, manu exaratum, aſſervantur epiſtolae Theodori ad Demetrium.

Quanti Gazam aeſtimaverit Franciſcus Philelphus ex epiſtolis ſuperius citatis ſatis videre eſt; ſed extat tamen ejuſdem epiſtolium aliud, quo illuſtrius illius continetur praeconium. Id datum eſt anno MCCCCXLVI. Franciſco Barbaro, erudito Patricio Veneto, quaerenti quis ex Graecis hominibus hac tempeſtate doctrina elo-

eloquentiaeque praestaret, respondet Philelphus, "unum Theodorum Gazam sententia sua caeteris Graecis omnibus et literis praestare et eloquentia, non hac Libaniana garrulitate, sed eloquentia illa prisca, qua et Demosthenem, et Aeschinem, et Lysiam, caeterosque illos nobilissimos oratores usos legimus. Esse praeterea illum virum gravem et bonum." Oratione illum non minus pedestri quam prosaica polluisse, testatur idem in epistola ad ipsum conscripta. "Non mediocri afficior desiderio audiendi tui, posteaquam visendi facultas est intercepta. Itaque facis tu quidem injuriam, qui toties Graece superiore tempore provocatus a me literis nunquam responderis, nedum versu, sed ne prosa quidem: cum in utroque dictionis genere excellentissimus sis." Ludovicus Carbo in quadam De artibus liberalibus oratione ad Leonellum Estensem Ferrariae principem, inter caeteras Gazae praeceptoris laudes et hoc ait: [d] "Dicam equidem quanto dignus Theodorus honore, quem plusquam dimidium animae meae semper diligam; cujus versiculos, quos de musis tuis elegantissimos edidit, in sacrario illo pulcherrimo incidi jubeas, etiam atque etiam rogo et obsecro. Quid enim gravius Callimachus? quid suavius Propertius? quid pulchrius Tibullus dicere unquam potuisset? Nam et nomen et officium musarum concinne exprimunt, et earum laudem ad picturam alludentes bre-

[d] Ap. Gyraldum de Poetis sui temp. Dial. 2.

" vius concinunt. Nobile hominis ingenium
" tantum philosophum in hujusmodi deliciis
" praestare!"

Intercessit ei simultas cum Georgio Trapezuntio, eo quod Graecos libros a Trapezuntio prius conversos, ipse rursus Latinos fecisset; et invectivam in illum hoc nomine edidit Trapezuntius, ubi insectatur ut portenta verborum, quibus, teste Parrhasio [f], optimi quique scriptores utuntur.

Scripsit quoque in Gazam, tanquam patris laudi decus maligne subtrahentem, Andreas, Trapezuntii filius, paternas lites excipiens: sed Theodorus eam recriminandi libidinem facile contempsit.

Politianus videtur ambitiosius quaesisse in Gazae operibus quod carperet, gloriolae inde nonnihil sibi captaturus, scil. in Miscellaneorum [g] opere, ubi partes Trapezuntii contra illum tuetur. " Illud (inquit) in Theodoro mirari
" me fateor, quid ita scripserit in praefatione
" librorum De animalibus Aristotelis, quibus
" unis praecipue commendatur, adjutum sese
" a nullo, nec certare adeo cum caeteris in-
" terpretibus, quos, inquit, vincere nullum ne-
" gotium est, cum libros eosdem sic Geor-
" gius Trapezuntius ante ipsum luculente ver-
" terit, ut vel redditis quae apud veteres inve-
" nerat, vel per se denuo fictis excogitatisque
" vocabulis, Latiam prorsus indolem referenti-
" bus, vitio factum nostro, primus opinor ju-
" niorum docuerit, cur ipsi minus multas quam

[f] Epist. 60. [g] Cap. 72, 90, 91.

Graeci

" Graeci rerum appellationes habeamus. Hos
" igitur ſi quis libros diligenter legerit, minus
" profecto Gazam laudabit, pene illius veſtigiis
" inſiſtentem: quin ſi homo erit ingenuus,
" credo ſtomachabitur, ſic a Theodoro diſſimu-
" latum, per quem maxime profecerat, ſic ha-
" bitum pene contemptui ludibrioque, cujus
" potiſſimum laboribus inſidiabatur. Nobis
" vero etiam fortaſſe habebit gratiam, quod
" iſta reddere ſuis auctoritatibus contendamus.
" Nam quantum ſibi Georgius in eo placuerit
" opere, vel illa de praefatione verba ſignifi-
" cant, quibus ſeſe libros eos Latinis ait non
" minus elegantes emendatoſque dare, quam
" apud Graecos habeantur. Sed et hoc ad ſe
" trahere Theodorus conatur, ut item quae de
" menſibus Graece prodidit, ex hujus potiſſi-
" mum, de qua loquimur, interpretationis prooe-
" mio ſubleguntur. At enim fuere, ſicuti ap-
" paret, acerbiſſimae inter hos Graecos inimi-
" citiae. Sic ut in Grammatico quoque ſuo
" Commentario Theodorus Georgium vocet
" hunc Pornoboſcon, quod alentem ſcorta ſig-
" nificat: alludens arbitror ad Georgium vete-
" rem Grammaticum, cui cognomentum Graeci
" Choeroboſcon dixere. Caetera porro, quae
" Theodorus hic edidit, ubi modo non repe-
" tundarum ſit accuſandus, ſicut eruditione di-
" ligentiaque non carent, ita ſunt, ut mihi qui-
" dem videtur, ad examen quoddam ſtrictius
" curioſiuſque revocanda. Nos hoc loco nec
" doctorum nitida nomina tentamus apud im-
" peritorum decolorare judicia, nec tamen diſ-
" ſimulare, quid in quoque deſideremus, aut

" inhonoratum tranſire volumus, cui veritas pa-
" trocinetur. Ut autem habere ſtylum quam
" maxime ingenuum paratumque volumus, ita
" quam minime accuſatorium, quam minime
" licentioſum et noxium. Nec enim tam va-
" fritiem profitemur, quam exhibemus induſtri-
" am." Haec Politianus. Qui ſubjicit tamen epigramma Graecum in Gazae laudem, aliiſque aliquot epigrammatis et Graecis et Latinis ait ſe olim teſtatum fuiſſe, quid ipſe de doctrina aeſtimaverit ingenioque Theodori.

Epigramma, quod ei ſubjiciendum ſeligere placuit, ſic eſt:

Κεῖτο μέγας πότ' ἀγὼν Γαζῆς Θεοδώροιο ἀμφὶ
  Μέσαις τ' Ἀυσονίαις ἠδ' Ἑλικωνιάσι.
Ταῖς μὲν γὰρ γενεὴν, ταῖς δ' ἂυ θρεπτήρι' ὀφεῖλεν,
  Ἑλλὰς γὰρ τέκε τόνγε, Ἀυσονίη δ' ἔτραφεν.
Ἶσον δ' ἀμφοτέρων σοφίῃ γλώττῃ τ' ἐκέκαστο,
  Τὸν δ' ὔτ' ἀυτὸς ζῶν ὔτ' ἄρ' ἔκρινε θανών.
Ἀλλὰ ϗ Ἰταλίης μεγάλῃ ἐπὶ Ἑλλάδι κεῖσθαι
  Εἵλετο, ὄφρα κλέος ξυνὸν ᾖ ἀμφοτέρης.

Id eſt, ipſo interprete:

Proponebatur magnum olim certamen de Theodoro Gaza,
Muſiſque Auſoniis et Heliconiadibus.
His quidem nativitatem, illis autem nutritoria praemia debebat;
Graecia nam genuit hunc, Auſonia vero nutrivit.
Ex aequo autem utriuſque ſapientia linguaque excelluit.
Hoc neque ipſe vivens, neque certe diremit mortuus.

Sed

Sed et in Italiae Magna Graecia jacere
Voluit, ut gloria communis ſit utrique.

Reliquorum ejus epigrammatum Graecorum appoſui tantum Latinam verſionem:

Graecia quidem, Theodore, te magis luxit mortuum,
Turcarum quam quando ipſam vaſtavit genus.
Etenim ei ſceptrum quondam barbarus abſtulit tyrannus,
Nunc vero decus linguae ſurripuit mors pernicioſa, etc.

Aliud.

Illud Calliopes ſacrum os ecce tacet,
Decus Graecorum heu quondam, nunc vero luctus,
Suaviloquus Theodorus, qui in corde habuit omnia;
Unde et omnium ſepultus eſt in corde.
Hujus et in ore quidem prudentia omnia florebant,
Prudentibus nunc et ipſe omnibus per ora.
Sed quodnam cor, quid dixi os? hoc mortuo
Omne os heu obſtruitur, omne anxium eſt cor.

Ejuſdem in eundem epigramma Latinum:

Heu ſacrum caput occubuit Theodorus, et hora
Una obiere omnes relliquiae generis.
Nec tamen hoc querimur, nimis eſt potuiſſe videri,
Non erat hic noſtro tempore dignus honos.
Hoc dolet heu, quod neutra patriae eſt nunc lingua ſuperſtes,
Quae mittat juſtas manibus inferias.

 Aliud.

Aliud.

Cum terram hic noſſet Theodorus et aera et undas,
Jam reſtant, inquit, ſydera; terra, vale.

Ait idem Politianus [a] Theodorum Ciceronis De ſenectute libellum "non incommode profecto "nec infeliciter vertiſſe in linguam Graecam; "ſed eſſe in eo quoque, ne quid gravius dixerim, "paulo nonnunquam indiligentiorem." Eum [b] alibi appellat hominem doctum et diligentem. Convenientibus aliquando quibuſdam literatis hominibus, cum de Hieronymo ejuſque ſomnio, quod ante divinum tribunal tanquam Ciceronianus verberaretur, ſermo incidiſſet, Gaza ridens facete admodum queſtus eſt injuriam ſanctiſſimo viro immerentiſſime illatam. Ita cum riſu ſoluta concio eſt. Hoc refert Bartholomaeus Scala epiſtola ad Politianum: Plenius autem Petrus Crinitus [c] Politiani diſcipulus, his verbis: "Dictum eſt celebre Theodori Gazae "de Divo Hieronymo ejuſque eruditione, af"fectum fuiſſe injuria Hieronymum a Ruffino, "quod eum pro Ciceroniano accuſet, in quo "paulo audacius ironia eſt uſus. Nam quid "(inquit) opus, ut in re falſa in jus appella"retur, litemque illi ad tribunal Chriſti de ni"mia eloquentia conteſtaretur? Sed hoc totum "de Gazae ingenio et acumine pro re nata "exponemus. Erant forte cum Beſſarione Ni"ceno, viro in philoſophia excellenti, Theo"dorus Gaza et Plethon Byzantius, qui cog-

[a] Miſcel. c. 91. [b] c. 74. [b] De honeſta diſcip. l. 1. c. 10.

"nomento

" nomento Γέμιστος appellatur, tres eo tem-
" pore, ut constat, viri doctrina et ingenio no-
" biles. Quaesitum est igitur de D. Hiero-
" nymo, quantum in Romana eloquentia prae-
" stiterit. Ex quo, Bessarion, Facundia, in-
" quit, maxima fuit apud Latinos Hieronymus:
" quando et affectatae nimis eloquentiae pro
" Ciceroniano et habitus sit et accusatus: In
" quo Theodorus dicitur risum movisse, ut qui
" foret in Romana etiam eloquentia censor
" acerrimus. Et simul, Injuria haec, inquit, o
" Bessarion, insignis in Hieronymum facta est
" a Ruffino: plagasque illas nullo suo merito
" tulit. Quo dicto Bessarion et Gemistus ma-
" gis riserunt, cognito Theodori ingenio et
" Attica urbanitate." Ab eodem Crinito [i] alibi hoc elogio ornatur: " Theodorus Gaza, vir unus
" (ut ego existimo) aetate superiori, qui cum
" omni antiquitate in omnibus disciplinis com-
" parari possit." Alibi: [k] " Theodorus Gaza,
" vir (ut doctis visum) doctissimus, et, ut ho-
" mo Graecus, judicio summo."

Pomponius Laetus rogatus [l] a Sabellico, [m] discipulo suo, quem aetate illa doctissimum judicaret? Theodorum Gazam respondit: quem secundum? Nic. Perottum Sipontinum antistitem dixit, alludens ad studia haec, quae nomen ab humanitate sibi vindicant.

Sabellicus [n] ipse hoc encomio eum exornat:
" Offert se mihi Theodorus Gaza, de quo pro-
" pemodum dici potest, quod et Apollonius

[i] Ibid. 11, 13. [k] Ep. ad Jo. Franc. Mirand. [l] Idem.
[m] Sabellicus Ennead. x. l. 7. et epist. ult. de Pomponii vita.
[n] De L. L. reparat. Idem fertur respondisse M. Ant. Mauroceno.

"ille de Cicerone olim dixiſſe fertur, ademp-
"tam ab illo Graecis eloquentiae laudem, nunc
"contra Graii ſanguinis hominem Latinis ade-
"miſſe: nihil eo viro cultius, nihil caſtius:
"nec vereor ne ambitione id a nobis dictum
"videri poſſit. Fuit ille Graecus, ut dixi, ve-
"rum quum ejus Theophraſtum lego, quem
"Latinum fecit, aut Ariſtotelis libros, qui De
"animalium natura inſcribuntur, admirari non
"deſino, ac dubitare, utrum incredibilem il-
"lam verborum proprietatem noſtri a Graecis
"acceperint, an ille a noſtris potius." Idem
in [q] alio opere ſub Nicolao (inquit) Quinto
Pontifice maximo "multi praemiorum ſpe im-
"pulſi Graecorum non pauca in Latinum ver-
"tere: L. Valla, vir Romani ſanguinis, Hero-
"dotum et Thucydidem; Nicolaus Perottus
"Polybium; Petrus Candidus Appianum; Po-
"gius Diodorum; aliique alias ex Plutarcho
"vitas: ſed omnium elegantiſſime Theodorus
"Gaza Theophraſtum et Ariſtotelis libros De
"animalium natura; Strabonem Guarinus Ve-
"ronenſis et Gregorius Tiphernas." Bergo-
menſis ad annum MCCCCLXXXII. "Theodorus
"Gazes, Graecus, patria Theſſalonicenſis, phi-
"loſophus et rhetor ornatiſſimus atque diſer-
"tiſſimus, Latina Graecaque lingua eruditiſſi-
"mus. Tranſtulit igitur hic eruditiſſimus et
"memoratu digniſſimus Theodorus Ariſtotelis
"Problemata," etc.

Joannes Saxo Holſatienſis, homo ejuſdem aetatis, in oratiuncula quadam inedita ait illum

[q] Ennead. x. l. 6.

"eru-

" eruditione ac eloquentia facile antecelluisse
" Graecis omnibus qui tum in Italia erant.
Hermolaus Barbarus, praefatione in Paraphrasin Themistii ad Sixtum IV. " magnam incomparabilemque jacturam jam pridem fecimus,
" Pontifex maxime, in Theodoro Gaza, qui
" vir Graecus Latinos omnes in hoc munere
" scribendi interpretandique superavit. Is, si
" diutius vixisset, linguam Latinam hac quo-
" que parte locupletasset. Quod et fecit in li-
" bris illis absolutissimis De animalibus Aristo-
" telis, et Theophrasti De stirpibus. Hic
" unus mihi certare cum vetustate ipsa visus
" est, hunc mihi quem colerem, quem imita-
" rer, propositus. Ab hujus scriptis adjutum
" me et fateor et praedico. Hunc ego non
" magnopere incuriosius legi quam M. Tullium,
" Plinium, Columellam, Varronem, Senecam,
" Apuleium, et caeteros quos in hoc genere
" commentandi diligenter evolvere necessarium
" est." Barth. Scala [r], " Theodorus Gaza, vir
" profecto, quantum possum ego judicare de
" literis, praeclara eloquentia."

Aldus Manutius Prooemio Aristotelis De animalibus Graece editi ad Albertum Pium principem Carpensem: " Quod si hos De ani-
" malibus libros cum iis conferes, quos miro
" successu Theodorus Gaza, licet Graecus ho-
" mo, tamen et Latine et Graece eruditorum
" omnium aetatis suae facile princeps, fecit La-
" tinos, brevi quantum profeceris non poenite-
" bit. Ibi enim utriusque linguae proprieta-

[r] Ep. ad Politian.

" tem

" tem licet cognoſcere. Quod et nobis et " Graecis eſt apprime neceſſarium. Nullus eſt " (mihi crede) Graecus liber, in quo facilius " diſci Graeca lingua poſſit ab hominibus noſtris " propter Theodorum. Sic Graece didicit " Hermolaus Barbarus, ſic Picus Mirandula " avunculus tuus, ſic Hieronymus Donatus, ſic " Angelus Politianus, ſummo viri judicio, ſum-" mo ingenio, ac undecunque doctiſſimi: ſic " denique quicunque Graecas literas callet tem-" poribus noſtris. Idem et tibi, mi Alberte, " cenſeo faciendum, ut cum et tu non mediocri " ſis ingenio, iis quos praedixi, et eloquio par " fias, et ſcientia rerum."

Philippus Beroaldus [a]: " Theodorus Gaza in-" terpres Ariſtotelis doctiſſimus.

Joannes Baptiſta Pius [b]: " Theodorus Gaza " vir perinde eloquens ac eruditus, philoſophi " fidiſſimus interpres. Idem: [c] Theodorus, vir " alioquin extra ingenii aleam poſitus, dupliciter " errat — ignoſcendum eſt ut homini Graeco " vernacula Latinis qua poterat, ſi non elegan-" tia, ſaltem elegantiae vicinitate conferenti, " quamvis non omnino appoſite verterit." Rurſus: [d] utriuſque linguae peritiſſimus Ariſtote-" lis interpres Theodorus." Iterum [e]: " Vir " magni nominis Theodorus Gaza." Videtur idem Pius ignoraſſe Theodorum noſtrum vertiſſe Aeliani Tactica, cum in eodem opere ſcribit librum iſtum Latinitate donatum fuiſſe a Theodoro QUODAM Theſſalonicenſi.

[a] Annot. in Plin. [b] Annot. poſter. c. 2. [c] Ibid.
[d] c. 29. [e] c. 79.

Janus

Janus Parrhasius eum longe Trapezuntio praefert, et Latinis omnibus aetatis suae laudem praeripuisse asserit.

Joannes Franciscus Picus Mirandulae Comes, De imitatione ad Petrum Bembum: "Quo-
"rum exemplum secuti sunt nostra aetate plu-
"rimi, inter quos Hermolaus Barbarus civis
"tuus, Joannes Picus patruus meus, Angelus
"Politianus, et qui iis aetate anteibat, Theo-
"dorus Thessalonicensis. Magnos hosce viros
"fuisse nec tu negaveris, nec ullus arbitror,
"qui inter viros bonos et de literis bene audi-
"entes locum obtinuerit. Eorumne aliquis,
"te quaeso, Bembe, Ciceronem est imitatus
"figura dicendi? De Hermolao id afferre non
"potes, qui sese totum Pliniis addixit, Theo-
"dori sectator, qui in transferendis Aristotele
"et Theophrasto, Plinii, Celsi, Columellae de-
"lectatus est charactere, eis autoribus quos in-
"terpretabatur consentaneo. Verbis sane qui-
"busdam Ciceronis utitur, at non phrasi: alio-
"qui satis ei non fuisset quantum chartarum,
"aut in Piceno, aut in ripis Benaci decennio
"conficitur: etsi quando aut epistolas scribit,
"aut in vertendis autoribus Graecis, et Latio
"inferendis paroemiatur, dici jure non potest
"Ciceronis assecla." Idem in examine Doct. Vanit. Gent. [f] "Ad Latinum Aristotelem ubi
"venerimus, mirum quam ipse non erit Aristo-
"teles: libros eos semper excipio, quos Theo-
"dorus Gaza convertit e Graeco.

[f] L. 4. c. 6.

Gazam

"dicio, quam fide discentis agit negotium: "non id statim captans ut ipse doctus appareat, "sed ut lectorem doctum reddat. Is primo "libro, Deum immortalem, quo compendio, "quam miro ordine, quanta simplicitate Gram- "matices summam complexus est, ceu simula- "chro quodam nobis delineato!" Libello de ratione studii: "Inter Graecos (inquit) Gram- "maticos nemo non primum locum tribuit "Theodoro Gazae.

Floridus Sabinus [m] ait, se "Pontanum, Val- "lam, Politianum, Theodorum Gazam, et plu- "rimos, qui se Ciceroni exprimendo tam im- "pense nunquam addixerunt, Longolio facile "praeponere solere."

Idem Apologia in Linguae Latinae Calum- niatores: "Non desunt, qui Jo. Pontanum, Her- "molaum Barbarum, Theodorum Gazam, re- "liquosque id genus excellentes viros, ut ni- "mis in formandis novis vocibus audaces re- "prehendunt, cum alii quidem eos, quod La- "tinam linguam locupletare conati sint, magis "laudandos clament." Ibid. "Theodorum Ga- "zam, quo nullum in Graecis Latio donandis "meliorem fuisse docti omnes passim affir- "mant." Alibi: "Gazae primae inter inter- "pretes librorum Graecorum omnium docto- "rum consensu jure tribuuntur." Sic Joannes Manardus: [n] "Ut reliquos interpretes minoris "census taceam, Theodorum Gazam, cui primas "omnes tribuunt, Hermolaus quandoque velli- "cat."

[m] Lect. succes. 1. 2. [n] Epist. 4. Lib. 12.

Joannes

Joannes Franciscus Lombardus: [o] "Apud "Theophrastum in libris de historia stirpium, "quos vertit absolutissimus vir Theodorus Ga- "za, qui inter Latinos Graecus est, inter Grae- "cos Latinus."

Hieronymus Magius: [p] "Κολίας etiam hic "piscis nuncupatur ab Aristotele, apud quem "Theodorus Gaza, vir alioqui eruditissimus, "male Monedulam vertit."

Dicitur vir et Graece et Latine doctissimus, [q] Urbano: Homo doctissimus et antiqua Graecia dignus, [r] Xylandro: homo lectionis plurimae accurataeque doctrinae, Jacobo Nicolao Loensi: [t] homo tam Latine, quam Graece omnium eruditissimus, [x] Scardeonio: "Vir divinus [y] J. C. Scaligero.

Jos. Scaliger: [z] "Inter eos omnes qui bonas "literas suscitarunt in Italia, invideo tantum "tribus his, Theodoro Gazae, Angelo Politiano, "et Pico Mirandulano. Theodorus Gaza mag- "nus certe vir et doctus."

Edidit vero idem Scaliger censuram hujus translationis versuum Ennii et aliorum in libro Ciceronis De senectute: eosdemque ipse, tanquam male a Theodoro conversos de novo Graece reddidit. Post censuram versionis Graecae distichorum Catonis a Planude confectae: "Hactenus (inquit) quae in Planude animad- "vertere potuimus: quae in eo viro non mi- "rabitur, qui in Gaza non minora deprehen- "derit: qui cum summus vir fuerit, et primus

[o] De balneis Puteolanis c. 3. [p] Miscel. 11. 9. [q] Gram. Gr. [r] Vita Plutarchi. [t] Miscel. Epiphil. l. 3. c. 22. [x] Antiq. Patav. [y] Epist. xi. [z] Scaligerana prima.

"omnium

" omnium Latinis hominibus viam praeiverit " Graeca recte in Latinum convertendi, in Ci- " ceronis tamen libello De Senectute adeo " dissimilis est sui, quum ad versus Ennii per- " venit, ut, si ejus Graecam versuum meta- " phrasim dissimulemus, iniqui judices in Pla- " nudem simus, qui ejus interpretationem ac- " curate discusserimus, Gazae autem ignoveri- " mus." Ad finem: " Non solum autem in " versibus desiderabit diligentiam, castigatum " judicium, sed etiam in soluta oratione, in " qua multa sunt, quae meliora fieri possunt; " quaedam etiam quae mutari debeant. Quod " semel studiosos Hellenismi admonuisse satis " fuerit, ne nomen Gazae plus possit, quam " veritas."

De ejus versionibus Ludovicus Vives De ratione studii: " Princeps interpretum consensu " omnium est Theodorus Gaza in libris De " animalibus et problematis Aristotelis, et De " stirpibus Theophrasti, sive decore ac elegan- " tia interpretationis, sive copia Latina, qua " certavit cum Graeca, sive felici audacia fin- " gendis ad analogiam vocabulis, quibus care- " bant Latini, ut commodius Graeca redderet." Libro 3. De ratione dicendi: " Exempla ho- " rum promptum erit sumere ex Cicerone in " libello de Universitate, et Theodoro Gaza " optimo interprete." Ibidem: " Quandoque " etiam utilissimum esset ad imitationem prioris " linguae et quasi matris fingere ac formare " apte verba aliqua, ut posteriorem linguam, ac " quasi filiolam locupletarent. Quod fecit Ga- " za Graecus homo de Latinis bene meritus."

De

De tradendis disciplinis libro 3. " Theodorus " Gaza plurimum locupletare potest nostram " linguam vertendis ad nos Graecis : minus est " felix G. Trapezuntius, et verbosior, minore " etiam verborum delectu." Paulus Jovius in lib. De Piscibus [a] illum vocat Plinianorum verborum observatorem atque imitatorem diligentissimum. In Elogiis, ait illum " acumine " fertilitateque ingenii nemini secundum fuisse, " Graecos omnes linguae peritia, eruditoque " judicio, superasse : usque adeo copiose et dili- " genter Latinas literas didicisse, ut longe om- " nium Latinissime scriberet, nec plane dig- " nosci posset, an exactius et certius ab eo " Latina Graece, an ipsa Graeca Latine ver- " terentur. Historias Aristotelis de Animali- " bus et Theophrasti de Plantis ita Latinas fe- " cisse, ut Romanae linguae facultatem, quum " nova vocabula solerter effingeret, audaci, sed " generosa translatione locupletarit. Tanta " porro felicitate librum M. Tullii De senectute " Graecum reddidisse, ut peritissimi praeter " adaequatos sensus, ipsam quoque Ciceronis " eloquentiae majestatem, scite, et graviter re- " praesentatam admirentur," etc.

Franciscus Massarius Praef. Annot. in nonum Plinii librum : " Hermolaus Barbarus una cum " Theodoro Gaza linguam Latinam locupleta- " vit, sermonem nobis restituit patrium, artes " omnes denique liberales corruptas ac penitus " eversas ad pristinam sinceritatem et veritatem " restituit : Quorum quidem disciplinis fate-

[a] L. I. c. 4.

" mur

" mur nos multum adjutos fuiſſe, quippe quod " Ariſtotelem et Theophraſtum a Theodoro " et Dioſcoridem ab Hermolao Latinitate do- " natos ſecundum eorum interpretationem ci- " tavimus: quoniam ad verbum fere cum " Plinio convenire videntur. — Et qui meliorem " eorum autorum interpretationem deſiderant, " alias quaeritent: nos enim his contentemur, " praeſertim quum ſenſus eorum adeo clare, " adeo eleganter, adeoque intentionem ipſorum " enucleaverint, ut quando autores ipſi Latine " conſcripſiſſent, neque melius neque concin- " nius tradere potuiſſent, quam maxime Theo- " dorus et Hermolaus."

Nannius [a] ait illum " ſententiarum diligen- " ter ſervare fidem, indolem vero tanta felici- " tate exprimere, ut Graecorum majeſtas, dig- " nitas, et affectus extent in Latinis.

Carionis Chronicon auctum a Philippo Melanchthone et Gaſpare Peucero: " Emanueli " Chryſolorae ſucceſſere proxime G. Trapezun- " tius et Theodorus Gaza. Inter hos aemula- " tio fuit: ſed Trapezuntium Gaza acumine " ingenii, dexteritate judicii, et linguae utriuſ- " que peritia ſuperavit. Ariſtotelis enim De " animalibus et Theophraſti De plantis libros " ita Latinos fecit, ut dum ad Graecarum com- " poſitionum exemplum horridioris linguae vo- " cabula ceu emollita prius inter ſe apte con- " cinneque jungit, et vim Graecarum vocum " novis Latinis accommodate effingit atque ex- " primit, audaci quidem ſed felici admodum

[a] In Horat.

" tranflatione facultatem Latinae linguae non
" mediocriter locupletarit."

Melanchthonis de eo verba perquam honorifica protulimus fupra. Idem [b] alibi illum eruditiffimum et modeftiffimum fenem appellat.

Petrus Pantinus Tiletanus: [c] " Gaza Romani fermonis pomeria in Animalium Ariftotelis hiftoria fic protulit, ut quem illi comparem, vix habeam, praeferam vero, neminem."

Inter tot laudatores extitere tamen nonnulli, qui in illius verfionibus Ariftotelicorum operum fidem defiderant, ut Petrus Alcyonius in praefatione quadam ad Octavium Fregofium: " Librorum (inquit) de partibus et generatione animalium, negligentia Theodori Gazae interpretis commotus, paraphrafin confeci, docuique certiffimis rationibus minus licere nobis recte in ftudio tam veteris et nobilis difciplinae verfari, Theodoro Gaza interprete." Habentur etiam quaedam contra eafdem illius verfiones in Nicolai Leonici Thomaei Dialogo cui tit. " Samnutus five de ludo talario." Eum in eifdem lapfum effe aliquibus locis monet Jof. Scaliger, ubi illum tantis laudibus evehit. Alcyonium autem, quod Theodori interpretationem non Trapezuntianae modo poftponebat, fed etiam fuae, " hominem in mediocri doctrina plane αὐθάδη" vocat [d] Gerardus Voffius. Infelicitatem ejus, quam vocat, in verten-

[b] Orat. de capta Conftantinopoli. [c] Praef. ad Mich. Apoft. Adag. [d] Inftit. Orat. l. 4. c. 3.

dis

dis Aristotelis Theophrastique operibus perstringit quoque Gesnerus, praef. ad opera Aeliani.

Huetius De claris interpretibus; "In Theo-"dori Gazae interpretationibus Graecis, multa "esse, quae meliora fieri possint, quaedam e-"tiam, quae omnino mutari debeant, Josephi "Scaligeri judicium est, a quo quidem non "recedimus: at ut meliora optavit ille, nos "cupimus certe, ne ab aliis interpretibus nobis "deteriora contingant, paremque omnes fidem, "perspicuitatem, et nitorem adhibeant. Du-"bito equidem Gazaene huic, an Planudae, an "alteri ejusdem aevi cuipiam Commentariorum "Caesaris de bello Gallico conversionem Grae-"cam, quae in Pataviana bibliotheca habetur, "adscribam; Caesarem illa nonnunquam du-"cem deserit, raro tamen, et verecunde; cae-"terum non impura ea, nec invenusta." De Latinis ejus versionibus cum illis Argyropyli comparatis, quid decreverit vir clarissimus, in Argyropylo plenius ostendetur: "Praecipuum "doctrinae decus Gazae concedit, eum soler-"ter excogitatis vocabulis, quibus res Latine "ignotas exprimeret, Romanam linguam lo-"cupletasse; pleraque tamen vel Latine pa-"rum, vel perplexe etiam, tum solute et pha-"lerato sermone explanasse; majorem eloquen-"tiae laudem Gazae, accurate autem interpre-"tandi Argyropylo deberi."

Janus Pannonius:

Nobile linguarum decus, o Theodore, duarum,
Inclyta quem nobis Thessalonica dedit;
Vivito sic longum, ut Gazis piscamur opimis,
Inque unum redigas Hellada cum Latio.

Pontanus:

Sume lyram, dic, Musa, modos, dum condimus umbram:
Et puer et coluit numina vestra senex.
Indignus tellure Deos, Theodore, petisti,
Sera quidem, tamen est longa parata quies.
Virtute ingeniique bonis hoc ipse parasti,
Ut coeli aspiceres aurea tecta senex.
Nos artus terra tegimus, tu, caste sacerdos,
Da requiem; aeternum jam, Theodore, vale.

Idem in carmine ad eum conscripto, Neapoli tunc agentem:

Sed mihi nec sine te dulces, Theodore, Camoenae,
Castaliusque juvat nec mea labra liquor.
Et tua jampridem cinxerunt tempora Musae,
Insignemque hederae circumiere comam.
Communes igitur Musae, communia nobis
Sunt studia; atque eadem fata duobus eunt.

Te quoque Turcaicae fugientem vincla catenae
Ejecit patrio Thessalonica solo;
Jactatumque diu diversa per aequora, tandem
Agnovit Phrygio condita Roma duce.
Nunc eadem, quo me fato, Campania tellus
Deliciis pascit terra beata suis.
Hic ubi nos longae producere tempora vitae,
Et resides annos claudere fata velint:
Et cum maturis aetas nos solverit annis,
Injicietque avidas Parca maligna manus,
Tum mistum cinerem communi onerate sepulchro,
Amborumque unus contegat ossa lapis.

Mich.

Michael Marullus:

Hic Gazes jacet, et Gazae Sophia addita mater:
Alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.

Pierius Valerianus:

Roma olim abſtulerat Graiae decus omne Minervae,
Sive opus ingenio, ſive opus arte foret.
Gaza autem, Argivae clariſſima gloria gentis,
Reddiderat patriae nunc ſpolia illa ſuae.
Dumque pari Auſoniae conatu conſulit, et dum
Muſarum et linguae dux utriuſque viget,
Sublatus fato traxit ſecum omnia, et uno hoc
Spes Italum et Graium fama cadente cadunt.

Latomus:

Ille Deum munus (fer thus et liba, ſacerdos,)
Atque adeo hic linguae Gaza utriuſque jacet.
Graecia quem genuit, ſuſcepit Roma: ſepultum
Communi titulo Graecia magna fovet.

Reuſnerus, ex Latomo, et eundem cum illo errorem errans, de eo quod Gaza primum Romam e Graecia venerit ibique conſederit:

Altrix Roma, parens cui Graecia, Graecia Magna
Fit tumulus, linguae Gaza utriuſque vocor.

Allatius [a] monet ſe in Diatribe de Theodoris, et eorum ſcriptis, jamjam edenda, ut inquit ipſe, ſed necdum tamen edita, ſe plene oſtenſurum, quid de eo ſenſerint viri docti, et quae reliquerit ingenii monumenta.

[a] Praef. Συμμίκτων.

CAP. IV.

De GEORGIO TRAPEZUNTIO.

EODEM circiter tempore, quo Theodorus Gaza, in Italiam conceſſit Georgius Trapezuntius, illius aemulus; qui cum natu Cretenſis eſſet, a majorum ſuorum patria cognomen ſibi aſciſcere maluit. Falluntur enim, qui illum Trapezunte natum exiſtimant. A Beſſarione Cardinale Georgius Trapezuntius Cretenſis nominari ſolet, nonnullis perperam Gregorius, pro Georgius, dicitur, ut a Bartholomaeo Abrahamo Cretenſi in praefatione actorum concilii Florentini, ſed librarii potius, quam auctoris errore. Natus eſt prid. non. Aprilis MCCCXCVI. adeoque Theodoro natu major. Juxta Trithemium claruit Romae temporibus Eugenii P. IV. anno MCCCCXXXV. Secundum Boiſſardum, " primus omnium Graecorum " Graecas literas docuit ſumma cum laude: " utpote qui clarebat an. Chr. MCCCCXXX. " Eugenio IV. Pontificatum tenente." At vero pontificatum iniit Eugenius non ante annum MCCCCXXXI. Et cum dicit Boiſſardus eum primum omnium Graecorum Graecas literas docuiſſe, nugatur pro more ſuo. Illud certo conſtat, claruiſſe eum in Italia diu ante annum MCCCCXXXVII. Quo quidem anno epiſtolam ſcripſit ad Joannem Palaeologum Graecorum

imperatorem, qua illum hortatur, ut ſpretis Baſileenſium promiſſis, in Italiam ad ſynodum navigaret: ſeque excuſari petit, "quod tametſi uſum et exercitationem linguae Graecae, velut in remotam coloniam deductus, pridem intermiſerit, nihilominus ad imperatoris celſitudinem ſcribere non formidaret." Hoc etiam compertum habemus, e Graecia in Italiam invitatum fuiſſe a Franciſco Barbaro celeberrimo patricio Veneto, ut Venetiis, poſt Franciſci Philelphi inde diſceſſum, linguam Graecam doceret. Venetiis autem diſceſſit Philelphus anno MCCCCXXVIII.

In Italiam veniens, eodem in Latinis praeceptore, quo ipſe Theodorus, nempe Victorino Feltrenſi, utebatur, ut colligitur ex opuſculo De artificio Ciceronianae orationis pro Q. Ligario, Victorino dicato, ubi illum Patris appellatione dignatur, ſeque ejus alumnum nuncupat.

Venetiis primum docuit, civitate a ſenatu donatus. Joannes Calderia Venetus in opere nondum edito, De praeſtantia Venetae politiae, ſcripto anno MCCCCLXXIII. in libro tertio de profeſſoribus, qui ea in urbe grammaticam docuerant, verba faciens, poſtquam Guarinum Veronenſem, et Franciſcum Philelphum memoraſſet, haec ſubjicit: "Similiter Georgius "Trabeſondeus ita omnes grammatices partes "excoluit, ut quae diminute antea acceperamus "Graecis literis, quibus prae caeteris omnibus "doctior habebatur, ſupplementa utiliſſima adjicere curavit, et ſic orthographiae, et figurarum, et caeterarum partium Grammaticae "occultarum, ita omnes inſtitutiones aperuit,

" ut nihil earum rerum amplius latere sufficiat.
" Pro quibus praeclaris erudimentis, super qui-
" bus praeterea tamquam fundamentis caetera-
" rum omnium scientiarum stabiliri principia
" possent: ex quo et a senatu publicam, et a
" privatis civibus privatam mercedem prome-
" ruit; nec immerito, cum omnis civitas his
" literis uberior facta. Caeteris postea scientiis
" ita nostros erudivit cives, ut in omni genere
" doctrinae praestantissimi homines habeantur,
" ut praeclarissimi jurisconsulti, probatissimi me-
" dici, et in omni philosophiae parte eruditissi-
" mi homines habeantur.

Venetiis Romam migravit ante tempus concilii Florentini, ab Eugenio Pontifice accitus; cui primum, ac deinde Nicolao V. ab epistolis erat. Bonas literas et philosophiam ibi, aperto ludo, salario publico, professus, ex variis regionibus auditores permultos habuit, ut testatur [b] Blondus Flavius: " Georgius Trapezuntius pub-
" lico Romae gymnasio Hispanos, Gallos, Ger-
" manosque multos, ut qui nonnulli aliquando
" sunt magni praestantesque viri, simul cum
" Italicis oratoriae ac poeticae auditores habet."
Permultos ibi annos in re literaria, magna cum laude, sine aemulo solus regnabat, donec tandem accitis undecunque a Nicolao V. viris Graece eruditis, et Gaza Aristotelis problemata, quae ille jam Latine ediderat, de novo melius vertente, et Laurentio Valla in rhetoricis illum publice impugnante, gloria ejus imminui coepit. A Valla ad certamen rhetoricum pro-

[b] Romandiolae descrip.

vocatus,

vocatus, Quintiliani gratia, quem ille in praelectionibus vituperabat, defendebat autem Valla, poſt dimidium anni in iſta altercatione elapſum profiteri deſiit. Cujus rei meminit Valla, in Poggium Antidoto II. ubi Poggio exprobrat, quod inter alios viros doctos bonarum literarum profeſſores maledictis proſcidiſſet "Georgium Tra-" pezuntium ipſius collegam, et eo multo do-" ctiorem, qui ſuperiore anno (nempe circa" annum MCCCCL.) a docendo ceſſavit." Refert alibi [c] Laurentius, Georgium Trapezuntium ſibi fuiſſe inimiciſſimum, "et cum eo dimidium" annum in legenda rhetorica ſe contendiſſe," quod Quintilianum non deſiſteret inceſſere:" ſe vero cum eo in gratiam rediiſſe, quod in-" ſequenti anno maluit ille non amplius legere" quam contendere." Rurſus idem de eadem contentione: "Ego reddidi ſuperius cauſam," cur ad concurrendum cum Trapezuntio, om-" nium rhetorum, ut ferebatur, hac tempeſtate" doctiſſimo, adductus ſim, etſi rhetoricae lectio," ut nunc quoque, non habebat concurrentem;" idque feci clam ſummo pontifice, quem" ſcirem non libenter auditurum, aut me alteri" rei, quam interpretationi vacare, aut Trape-" zuntio, ſuo praeſertim ſecretario, negotium" exhiberi. Sed Quintiliani injuriam tolerare" non potui, tametſi plurimi viri oratoriae ar-" tis ſtudioſi me ad legendum hortarentur," qui etiam cum aliquot cardinalibus egerunt," ut ego pari cum Trapezuntio ſalario ad le-" gendum conducerer." Poggium deridet Valla

[c] In Pog. l. 4.

quod ob maledicentiam a Trapezuntio aliquando publice colaphis corrigeretur. Rem ipsam fatetur Poggius [d] et describit: nimirum se in theatro Pompeii, loco et die celebri, ubi praesentibus secretariis apostolicis reliquis bullatorum diplomatum censura habebatur, quod malediceret, ab eo acriter duplici colapho caesum fuisse. Neque colaphis tantum, sed calcibus, fustibus, ferro, rem actam fuisse.

Ab Aenea Sylvio recensetur inter eos, qui Nicolao V. acceptissimi fuere in transferendis Graecorum operibus. Verum hoc in eo jure merito reprehenditur, quod opera illa, quae interpretatus est, multis in locis manca mutilataque edidit, festinans, ut creditur, ad praemia a pontifice Nicolao proposita.

Nicolao tandem in eum magna bile ab aemulis concitato, Roma secessit Neapolim ad Alphonsum regem, ab eo accersitus, et desponso honesto salario. Postea vero, cum in gratiam pontificis, Francisci Philelphi opera, rediisset, Romam reversus est. Extat hac de re Philelphi epistolium, ad illum, G. Trabisondae nomine, scriptum v. kal. Sept. MCCCCLIII. quod sic se habet.

" Quod istinc abiens tibi sum pollicitus, ubi
" primum in urbem veni, et summi pont. Ni-
" colai V. adeundi mihi data est facultas, quo
" tempore adhuc ex pedibus non mediocriter
" laborabat, ita egi causam tuam, ut ejus ani-
" mum jampridem alienatum (ut nosti) ita ad
" te converterim, ut reditum ad se tuum non

[d] Invect. in Vallam.

" solum

"solum admittat, sed etiam desiderare videa-
"tur. Itaque moneo te atque hortor ne diffe-
"ras adventum tuum, sed velis ac remis (ut
"aiunt) secundis flatibus te committas. Nam
"omnia tibi importuna, omnia tranquilla fu-
"tura sunt. Vale, et majestati regiae me
"commenda."

Ignorabat continuator historiae literariae Caveanae, floruisse illum Romae sub Nicolao V. cum dicit illum post Eugenii mortem ab Alphonso rege Neapolim fuisse accersitum.

Anno MCCCCLXV. Roma in Cretam, et inde Constantinopolim adnavigabat, ubi Andreas Chius paulo ante Christianae religionis causa martyrium subierat. Quum Romam versus Constantinopoli solvisset sequenti Martii die 18 et nimbis contra flantibus, inque saxa navem depellentibus, periclitaretur, imploravit subito Andreae martyris auxilium, vovitque si ad suos Romam incolumis deveniret, martyrium ejus summatim Latina lingua conscripturum. Quod demum elapso biennio praestitit, ipse de se in narratione ista haec referens.

Ad exactam senectutem quum pervenisset, repuerascenti et propemodum deliro memoria literarum elabebatur, circuibatque urbem solus obtrito in pallio pileatus, et nodoso scipione vacillantis gradum sustinente. Ferunt illum ipsius nominis sui fuisse oblitum. Tradunt nonnulli hoc ei evenisse postquam ex morbo gravi ad valetudinem redivisset: alii, ex dolore, propterea quod ejus opera pontifici maximo oblata centum ducatis tantum compensata fuissent. Eum autem e Vaticano palatio domum se conferentem,

ferentem, indignatione percitum, ex ponte Aelio pecuniam ab ingrato acceptam in Tiberim abjecisse, addita exclamatione: " Periere labores, " pereat et eorum ingrata merces." Verum illi, qui hoc tradiderunt, videntur mihi Trapezuntium cum Gaza confundere. Mortem ei per injurias aemulorum fuisse acceleratam testatur filius ejus in loco mox adducendo. Obiit Romae non ante Gazam, quod existimavit Jovius, qui idcirco illum ante Gazam collocat, sed anno MCCCCLXXXV. aetatis XC. et sepultus jacet in templo, quod olim Minervae erat, juxta quod habitabat, honesta domo sibi et posteris extructa ad Divi Mauri minores obeliscos. Sepulchralis lapidis, qui e scenophylaceio in templum ingredientium oculis prostat, inscriptio, attritu pedum obambulantium hominum ita abrasa est, ut etiam Leonis Allatii tempore, praeter unius Trapezuntii nominis vestigia, tota sensim evanuerit.

Reliquit filium Andream, non [e] eadem felicitate in literis educatum, qui (ut supra in Theodoro Gaza aiebam) patris sui defensionem adversus Theodorum scripsit, ab eo tamen facile contemptus. Andreae filia haeres [f] Fausto Magdalenae Romano, poetae lepido, collocata est. Hic multa de Georgii prosoceri sui doctrina, et litium acerbitate narrare solebat, cum Leoni X. pontifici ab amoenitate ingenii gratissimus in academia floreret: sed is ante diem anno MDXVII. clade urbis ab exercitu Caroli V. expugnatae interiit.

[e] Jovius. [f] Idem.

De

De ſcriptis ejus copioſe, non tamen undecunque plene, diſſerit Allatius in diatriba de Georgiis. Quae haec ſunt.

" E Graeco Latine vertit Euſebii De praep. " evang. libros et Nicolao V. nuncupavit, de qua " verſione ſic loquitur Hieronymus Bononius, qui " primus eam typis excuſam in lucem protulit: " Saevientibus demum tota Graecia diutinis " atrociſſimorum hoſtium bellis, occupato in- " felicis provinciae diſciplinarum matris impe- " rio, direptis miſere civitatibus, tota nobilitate " atque virtute Attica in Italiam commigrante, " clariſſimi quique authores, cum gentiles tum " Chriſtiani ad totam hoſpitalitatem diverten- " tes, ſtudio doctiſſimorum interpretum, lin- " guam Romanam didicerunt, verum cum a " plurimis in hiſtoriarum poematumve traducti- " one fuerit hactenus feliciter elaboratum, non " minus grate utiliterque ab his qui res Chriſti- " anas eligere maluerunt effectum eſt. Non " enim Omnibonus Leoniceus, vir ſingulari " doctrina praeditus, minus laudis conſecutus " eſt in Athanaſio traducendo, quam alius quiſ- " piam in quovis gentili opere, aut ipſemet in " toto commentariorum infinitorum contextu. " Neque Georgius Trapezuntius, vir divinus, " praeparatione Evang. Euſebii in Lat. verſa, " minus gloriae reportavit, quam rhetoricae ar- " tis laborioſiſſimo opere edito. Cujus quidem " clariſſimi operis dedicati Nicolao V. pont. " max. literarum toto orbe fugientium parenti, " quo ad ſuperos unde nobis demiſſus fuerat " intempeſtive redeunte, omnis doctrinae ſpes " erepta eſt, cum copiam facere omnibus quae-

" reremus,

" reremus, nec ſat facile inveniri poſſet exem-
" plar," etc. Haec ille. Sed ſciunt recentiores, Graecis jam editis, adeo diminutam et mancam eſſe Trapezuntii tralationem, ut ab omnibus nunc rejiciatur.

Tranſtulit quoque Cyrilli Alexandrini commentarios in evangelium Joannis, et Theſaurum ſive De Trinitate libros XIV. Sed in hoc quoque opere multa paſſim omiſit, multa de ſuo adjecit, ordinem omnem immutavit, multa perperam vertit, ut Vulcanius in ſua praefatione ac in notis oſtendit. Tranſtulit etiam Chryſoſtomi homilias in Matthaeum, dicatas Nicolao V; Gregorium Nyſſenum De vita Moſis, ſive De vita perfecta Baſilii magni; libros contra Eunomium; Rhetoricorum Ariſtotelis libros tres ad Theodecten; Ptolemaei (quod vocatur) Almageſtum, et Centiloquium ſive Aphoriſmos. Quae omnia ex ejus interpretatione typis ſunt edita. Epiſtola nuncupatoria ad Nicolaum V, quam praefixit homiliis Chryſoſtomi in Matthaeum, nondum edita ſervatur in vol. MS. Caroli Theyer in comitatu Glouceſtrenſi.

In vol. MS. collegii Lincolnienſis eidem tranſlationi ſubtexitur epiſtola ejus ad Franciſcum Barbarum, qui eam videre cupierat, in haec verba.

G. Trapezontius illuſtri Senatori Veneto Franciſco Barbaro ſal.

REDDITAE mihi ſunt tuae literae, quibus ſcribis, ut Chryſoſtomi opus a me nuper traductum ad te mittam. Quod libenter faciam,

ciam, hinc intelliges quod tardius rescribere malui, quam inanes literas mittere. Nam liber non erat apud me, sed apud pontificem, cujus jussu traduximus. Et cum indies recuperare speraremus, scribendi officium in dies crastinos remittebamus. Nunc vero quum legato Venetorum librum commendavimus ut ad teipsum transmittat, has scripsimus, quibus illud etiam excellentiae tuae significare placuit, alia quoque multa hoc biennio nos vertisse volumina. Nam et Cyrillum Alexandrinum super Joannem, opus certe divinum; et Eusebium Pamphili de doctrina Christiana, librum, omnium qui legerunt judicio, adeo utilem, ut vix alter ei similis reperiri possit; et Aristotelis aureos De animalibus libros; cujus etiam De rhetorica libros antea vertimus. Sed alios alias. Nunc Chrysostomum lege, cujus Latinam eloquentiam tanto a Graeca distare necesse est, quanto a dicendi ejus elegantia Georgius distat. Sed quicquid in nobis est, id abs te initium habuit, cujus ope et opera Latini facti sumus. Quare non magis nobis et Chrysostomus et alii Graeci, qui modo per nos Latine loquuntur, quam tibi certe debebunt. Caeteros tunc si vixeris mittam, cum Chrysostomum remiseris. Quod quam cito fieri potest facias oro: Nam hic nulli propter temporis brevitatem, nisi domino nostro, exemplum est, et multi potentesque petunt. Sed abs te fuit incipiendum, qui me de Graecia eripuisti, et primus in Italiam in Latina studia reduxisti. Vale ex urbe v. kal. Maias 1470 [*]. i. e. 1470.

[*] Sed scribendum videtur 1450.

Multas

Multas alias verſiones elucubravit, quae (quantum ſcio) nunquam typis editae fuere, quales ſunt librorum Platonis De Legibus, ejuſdemque Parmenidis, Ariſtotelis Problematum, Phyſicorum, De anima, De animalibus, De generatione et corruptione, et Gregorii De laudibus Baſilii magni. Platonis De Legibus libros tranſtulit juſſu Nicolai V. cui prius, et poſtea Senatui Veneto eos dedicavit. Praefatio ejus ad Nicolaum pene integra ſervatur apud Beſſarionem in Calumniatorem Platonis libro IV. cap. XVI. ubi legitur quoque ad eum epiſtola Franciſci Barbari, qua ei reſpondet pollicenti ſe Venetorum nomini tralationem iſtam nuncupaturum. In praefatione ad ducem Venetum, cujus pars ibidem recitatur, civem ſe Venetum facit, permultiſque ſe beneficiis a Venetorum ſenatu honeſtatum dicit, in illa republica ſe natum educatumque, utpote Cretenſem. Iſtius Verſionis examinationem et errorum ejus declarationem edidit cardinalis Beſſarion; quae librum V. operis Adverſus calumniatorem Platonis conſtituit. Platonis Parmenidem dicavit Nicolao Cardinali Cuſenſi. Verſionem librorum Ariſtotelis De anima emiſit ante annum MCCCCXLI. Quo anno exaratum eſt exemplar ſcholae Coventrienſis, ſcriptore Thoma Clare monacho S. Edmundi. Problemata ex ejus verſione habentur Venetiis in bibliotheca Theatinorum S. Nicolai Tolentini in eodem vol. cum aliis duabus verſionibus, vetuſtiore Petri Patavini, et recentiore Theodori Gazae, ſcripta anno MCCCCLXXVII. Servantur eadem apud nos in biblio-

theca [a] collegii Corporis Chriſti. In fine monet Trapezuntius, in veteri verſione nonnulla adjici, quae in ſuo codice Graeco non comparebant. Verſionem Hiſtoriae S. S. Barlaam et Joſephat, Joanni Damaſceno tributae, quae ſub ejus extat nomine, illius non eſſe, ſed alicujus vetuſtioris, conſtat.

Ptolemaei Centiloquium traduxit, dum Neapoli commoraretur, et Alphonſo regi dicavit.

Almageſtum, ſive magnam Syntaxin, abs ſe multis annis ante converſum, Ferdinando regi Aragonum Alphonſi filio tandem ipſe dedicavit. Ipſo tamen ſuperſtite in publicum non emittebatur id opus, ſed poſt mortem ejus Sixto IV. pontifici ab Andrea filio nuncupabatur. Tranſcriptum ex exemplari Vaticano, quod Sixto fuerat oblatum, typis edi curavit L. Gauricus, praemiſſo Andreae Trapezuntii ad Sixtum Prooemio ; e quo nonnulla, in quibus gravis fit querela de Georgii calamitatibus, ex invidia ob hanc tralationem praeſertim conflata exortis, quo tempore ſcilicet Neapolim Roma commigrare coactus eſt, huc deſcribere non gravatus ſum.

" Revolventi mihi nuper labores patris mei
" Georgii Trapezuntii, viri optimi, et omni
" doctrinarum genere inſignis, beatiſſime Pater,
" obtulit ſe magna illa Ptolemaei compoſitio,
" quam Almageſtum vocant, ab eo in Latinum
" e Graeco converſa, ſed inimici factione atque
" odio ex invidia conflato nondum emiſſa.
" Quam ut attigi, ſtatim percuſſit animum acer-
" bus ille et pene ſopitus ac evulſus dolor ve-

[a] Cod. 105.

" tuſtate, qui omnem mihi veterem calamita-
" tem atque miſeriarum acerbitatem cumu-
" lumque renovavit. Nam feliciſſimum illud
" Trapezuntii ingenium vitaque omnis ſanctiſſi-
" me acta, laboreſque ſui et ſtudia pro com-
" muni eruditione ſponte ſuſcepta, quo tem-
" pore fructu aliquo recreari debebant, in eo
" perditiſſimae animorum declarationes ac in-
" juriarum moles ab his, quos ſummis bene-
" ficiis devinxerat, extiterunt. Non enim eos
" reliquis in artibus pervagata jam Trapezuntii
" fama eruditorum conſenſu celebrata adeo ſol-
" licitabat, ſed Ptolemaei operis omnium dif-
" ficillimi eiſque minime cogniti ſplendore plu-
" rimum agitabat: cum Trapezuntiana in-
" duſtria in gloriam nominis ſempiternam La-
" tinis hominibus tum primum refulgeret, at-
" que cum ipſi et literarum ubertate et ingenii
" acumine doctis illa aetate viris praeſtare ſe
" arbitrarentur, ea vero converſione ab uno Tra-
" pezuntio ſe facile ſuperari viderent, omne
" eorum ſtudium factionemque omnem ad
" acerbiſſimas in eum vexationes comportarunt.
" Ita partim ſua ipſi potentia, partim mercena-
" riorum conductu, non libros Trapezuntianos
" obruere modo cupierunt, ſed communem
" quoque illum innocentiſſimi hominis ſpiri-
" tum, de hominum genere optime meritum,
" per ſummum ſcelus omnibus praeſidiis inter-
" cluſis eripere tentaverunt. Quorum com-
" preſſo odio ex invidia collecto jam erum-
" pente, niſi in articulo temporis concidere
" maluiſſemus, a cervicibus noſtris furorem il-
" lum Scythicum omni ratione depellere opor-
" tuit.

" tuit. Has invidiae tempeſtates per potentes " inimicos concitatas divus ille Alphonſus, re- " gum omnium (quos praeſens omnium me- " moria longius repetere poteſt) praeſtantiſſi- " mus, cum accepiſſet, ſtatim Trapezuntium " per literas ad ſe Neapolim, commune do- " ctorum refugium portumque tutiſſimum, ac- " cerſivit, et deſponſa in annos ſingulos non " mediocri pecunia, comiter benigneque ſuſ- " cepit. Tot igitur tantiſque calamitatibus et " familiae cura oppreſſus dilaceratuſque Trape- " zuntius traductionem ipſam plurimis annis " elaboratam compreſſit. Cujus editio ab eo " eximebatur, ut remiſſa aliquando vel ſeceſſu " invidia vel humanitate ſopita vel vetuſtate " conſumpta, ſua tandem cum animi tranquil- " litate et fortunarum redintegratione noſtris " hominibus divulgaretur: ſed decurtata po- " tentis inimici factione vita morte ante prae- " ventus eſt quam inſcribere quaeque poſſet. " Quo mortuo, varia ipſe rei familiaris cura " diſtractus non adhibere in libri dicationem " animum potui: ſed cum jam omnis ea ſol- " licitudo ſtudiumque hujuſmodi deferbuiſſe " videatur, converti me tandem ad literas longo " intervallo revocatas, atque quotidiano con- " vitio hominum, qui a me hoc munus non " poſtulabant ſed efflagitabant, non ſum paſſus " latere diutius, quin jamjam attrectandum eis " retinendumque dimitterem," etc. —— Ad- dit Andreas, ſi labores ſui a Sixto Pont. pro- barentur, ſe reliquos Trapezuntianos libros non- dum cuiquam inſcriptos, illius nomini dicatu- rum.

De ſuo ſcripſit Latine Rhetoricorum libros V. in quibus quantum ad ſtatus inventionis praecepta et formas elocutionis attinet, bonam partem Graecorum Hermogenis tranſtulit. Quod opus dicitur Fernandus Alphonſus Herrera, una cum ſcholiis et Trapezuntii vita, edidiſſe Compluti MDXI. Scripſit etiam comparationem Platonis et Ariſtotelis; qua acrius quam decuit in Platonem invehitur, eoque Ariſtotelem longo intervallo ſuperiorem eſſe contendit. Contra eum Platonis partes tuendas ſuſcepit Beſſarion Cardinalis in opere inſcripto, Contra calumniatorem Platonis. Scripſerat antea ad Eſaiam Monachum adverſus Beſſarionem Georgius, ſed ſimulans ſe credidiſſe Theodorum Gazam autorem fuiſſe diſputationis iſtius quam impugnat, De natura ac arte, an conſulto agant. Qui libellus recitatur in Beſſarionis reſponſione, ſubjuncta defenſioni Platonis.

Edidit porro expoſitionem orationis Ciceronis pro Q. Ligario, Victorini Feltrenſis magiſtri ſui rogatu: in qua ait "ſe non ſolum praecipiendo
"haec ſtudia illuſtraviſſe, verum etiam rem
"aggreſſum fuiſſe, quam nemo vel e priſcis
"illis atque doctiſſimis viris, cum eo multi
"ocio abundarent, ut inutiles etiam fabulas
"conſcriberent, vel Latine vel Graece adoriri
"auſum fuiſſe. —— Haec, mi pater, Georgius
"Trapezuntius, alumnus tuus, tibi ad utilitatem
"communem petenti conſcripſit. Quare ut,
"quod cupis, multi hinc proficere poſſint, ſi
"utile opus judicabis, tuum erit in lucem
"quam primum edere. Ego, etſi Rhetoricis
"noſtris, et hoc opuſculo, ſatis praeſentibus

"ac

" ac posteris te autore fecisse me arbitror, tamen et alia conscribere non gravabor, nisi " obtrectatorum invidia omni fructu laboris privatus, infoecundum hunc mihi agrum, ut " steriles atque asperos montes agricola, deseram." Commentarium hunc Trapezuntii Georgius Merula, suo in eandem orationem commentariolo, non sine acrimonia quadam insectatur: illum Rhetorem appellans " sua memoria non incelebrem, sed qui rerum et " vitae usum omnem se ignorasse isto tam fatuo " commento arguerit."

Scripsit postea expositionem omnium Philippicarum: Dialecticam brevem: De octo partibus Orationis Compendium: Commentarium in Ptolemaei Centiloquium: De Antisciis, in quorum rationem fata sua rejicit: Cur astrologorum judicia ut plurimum sint falsa: Andreae Chii Martyrium: Expositionem illius loci Evangelii Joannis, " si eum volo manere donec veniam," ad Sixtum IV. qua conatur evincere Joannem nondum esse mortuum. In quam illius sententiam peculiari opusculo invectus est Bessarion. In hoc opusculo Trapezuntius monet " sibi in " animo fuisse, nisi vel senectus retardaret, vel " aegrotatio impediret, vel tenuium fortunarum " conditio revocaret, nonnullos Scripturae locos " tractare."

Ea extant omnia typis impressa. Grammaticam ejus, quae dicitur extare MS. in Bibl. regis Galliarum, non aliam fuisse quam Compendium de octo partibus Orationis supradictum, censendum est. Scripsit praeterea quae, opinor, nondum excusa sunt, De divina substantia

ſecundum Ariſtotelis doctrinam: Exhortationem de recuperanda terra ſancta: Contra Theodorum Gazam nonnulla: Ad Leonellum Eſtenſem; et Reſponſionem in invectivam Guarini.

Graece ſcripſit epiſtolam, cujus ſupra facta eſt mentio, ad Joannem Palaeologum, Romanorum Imperatorem, de profectione in Italiam ad Concilium Ferrarienſe, potius quam ad Baſileenſe. Quae Graece et Latine extat ad calcem Simocatae et Phranzae, a Jacobo Pontano edita.

De Proceſſione Spiritus Sancti ad Jo. Cubocleſium.

De re eadem et de una ſancta et catholica eccleſia, ad Hieromonachos et Sacerdotes Cretenſes. Quod opus utrumque ab Allatio vulgatum eſt Graece et Latine in tomo I. Graeciae Orthodoxae. In Cod. Naudaeano et Regio Pariſino (juxta indices Labbeanos) pro *ad Jo. Cubocleſium*, legitur, *ad Jo. Cubicularium*.

Graeca ejus inedita ſunt: Introductio in magnam Ptolemaei Syntaxin; in bibliotheca Auguſtana et Scorialenſi: Index Auguſtanus habet, Iſagoge in magnam Syntaxin Ptolemaei, Trapezuntii authoritate ſcripta.

De Eleemoſyna. De veritate Fidei Chriſtianae, ſcilicet adverſus Turcas. Habetur Venetiis in bibliotheca S. Antonii. Extabat quoque in Lolliana.

Ad Eſaiam Monachum, Utrum natura conſilio agat; Mediolani in bibliotheca Ambroſiana, et habetur Graece. Idem vero eſt tractatus, quem ſupra monuimus, contra Beſſarionem revera,

vera, ſed ſimulanter contra Gazam, ab eo fuiſſe Latine editum.

Ἀντιῤῥητικὸς, qui in bibliotheca habebatur Lolliana, de eademne an alia tractaret materia, incertum.

Oratio in funere Michaelis Veneti ad Turcarum Imperatorem (Legati) Epiſtolae in Pſalmum XLIV. quarum quaedam extant Venetiis ad S. Antonium, una cum praedicta oratione.

Trapezuntii de Manuele Rege αὐτόγραφον, ut videtur. Ita legimus in Reiſeri Indice Auguſtano. Quod opuſculum idem eſſe cum epiſtola praefata ad Joannem Palaeologum Imperatorem ſuſpicatur Allatius.

Epiſtola Graeca ad Nicolaum ſervatur in codice Regio Pariſino; ad quem vero Nicolaum, utrum ad Nicolaum Secundinum, vel ad Nicolaum Junium Athenodi epiſcopum, vel ad Nicolaum Perottum, vel denique ad Nicolaum Pontificem, mihi nondum conſtat.

Orationes, quas commemorat Trithemius, et Dialogus de Fide, utrum ea Graece an Latine conſcripta ſunt, non ſatis liquet. Dialogum vero de Fide veriſimile eſt eundem eſſe cum aſſertione fidei Chriſtianae contra Turcas.

Obſervat Allatius eo aevo celebres in utraque literatura viros, et in utriuſque eloquentiae facultate eximios, ut utriſque primis nationibus ſatisfacerent, gloriamque ſibi ex utraque lingua veram captarent, ac ſolidam, quod Graece prius ſcripſerant, Latine poſtmodum enuntiaviſſe; viciſſimque Graece, quod Latine; dictumque comprobare Trapezuntium, Gazam, Beſſarionem, Argyropolum, alios.

Extant Florentiae in bibliotheca Medicea, Q. Calabri (ſive potius Quinti Smyrnaei) derelicta ab Homero, e codice antiquo a Georgio Trapezuntio exſcripta.

Quamobrem in Trapezuntium invectivam ſcripſit Guarinus, in incerto eſt. Quid ipſum Trapezuntium, ut in Gazam ſcriberet, excitaret, in Gaza ſupra oſtenſum. Nempe illud ſtomachum ei vehementer movebat, quod Ariſtotelis problemata, a ſe prius in Latinum converſa, Gaza de novo interpretari auſus ſit.

Eo tandem proceſſit Gaza, ut Ariſtotelis quoque De animalibus libros, quos etiam Trapezuntius verterat, interpretatione nova donaret: in cujus prooemio ad Sixtum IV. Pontificem de tranſlatione Trapezuntiana, licet eum non nominet, magno cum contemptu loquitur. " Videbam, inquit, permulta erraſſe interpre-" tes, tum imperitia linguae, tum Ariſtotelicae " diſciplinae inſcitia. Itaque officium eſſe pu-" tavi, ut ſi quid facultatis in me eſſet, qua " praeſtare haec poſſem meliora, rem aggrede-" rer, et pro viribus dignius quicquam effi-" cere conarer. Laboravi equidem hac in re " vehementer, quoniam nihil adjumenti ab iis, " qui eadem interpretari voluere, capere pote-" ram. Aut enim Graece illi dixerunt, quae " Latine audire homines Latini deſiderant, aut " rerum aliarum nomina aliis improprie tribu-" erunt, aut nova ipſi inepte finxerunt. Sen-" tentiam vero autoris paſſim adeo deprava-" runt, ut argumento quidem interpretationis " eorum nemo tam indoctus ſit, qui non rectius " judicare de rebus naturae, quam Ariſtoteles,

" poſſe

" posse videatur. Locutionis etiam genus, ne
" tale quidem quod legi posset, non modo
" non Aristotelis eloquentia dignum, adhibere
" potuerunt. Quod si quid prae sua facillima
" cognitione perverti ab omni veritate non
" potuit, id etiam propter incultum, horridum,
" et ineptum sermonem interpretis vix intel-
" ligi potest. Afferrem hoc loco scripta illo-
" rum interpretum, erroresque singulatim enu-
" merando reprehenderem, nisi longior essem
" in re non dubia, praesertim apud te, Princeps
" doctissime, qui ut ante Doctor pro tuo sin-
" gulari judicio semper damnasti illorum in-
" terpretationem, melioremque desiderasti, sic
" nunc factus Princeps accuratius agis, ut haec
" aliquando explanentur, et una cum sui au-
" toris sententia lucem Latinae linguae reci-
" piant. —— Nec acta quidem egi, sed a male
" conversis primus ego Latinis hominibus ape-
" rui, quae his libris Aristoteles scripserat. ——
" Non loquor de illis, qui et sibi et autori, quem
" interpretantur, dedecus pariunt. —— Fuit
" quidem studium mihi certandi, non cum in-
" terpretibus illis, quos vincere nullum nego-
" tium est. —— Quanquam nonnulli, quae
" Latine exprimere nequeunt, haec inopiae
" linguae tribuunt Latinae, suamque pauperi-
" em vitio dare linguae locupletissimae au-
" dent."

Bessarioni Cardinali infensus fuit, quia ille in doctrina Gazam ipsi antepofuerat. Atque hac de causa disputationem in illius tractatulum De natura et arte edidit. " Haec, inquit Bessa-
" rion in responsione, ad Theodorum breviter

" per-

" perſcripſimus, quae ubi Georgius Trapezun-
" tius Cretenſis legit, ut odium, quod in nos
" jamdiu, hoc eſt ab eo tempore, quo ei
" Theodorum in doctrina praeponendum cen-
" ſuimus, parturierat, aliquando pareret, ad-
" verſus ea ſcripſit. Sed ut velle perſonae
" noſtrae parcere videretur, noſque honeſtius
" impeteret, finxit ſe ignorare, quiſnam ejus
" libelli author eſſet, et Theodori non Beſſa-
" rionis diſputationem hanc eſſe, ſeque Theo-
" doro contradicere ſimulavit." Quantae fue-
rint inter eos inimicitiae, ex his Beſſarionis in-
telligimus verbis: " Haec Georgius, adverſus
" quam hominis maledicentiam potius quam
" diſputationem, agendum cum eo epiſtola non
" cenſuimus. Nullam enim familiaritatem
" ſervare amplius cum hoc homine patior,
" quem jam aperte iniquum in amici officio
" deprehendi. Decepit me ille longo tempore
" virtutem ſimulans, et fingens erga me bene-
" volentiam, quod certe eo facilius facere po-
" tuit, quo majori fiducia, pro fide atque con-
" ſtantia morum meorum, nihil mali poteram
" ſuſpicari. Nunc hominis fraudulentiam plane
" expertus, caveo, et bis per eoſdem ſcopulos
" navigare recuſo, ne iterum naufragium fa-
" ciam: ipſe profecto me docuit familiaritatem
" ſuam aſpernari ac fugere, et mihi jam optimo
" jure conceſſum permiſſumque eſt vitare fa-
" miliarem inimicum." Verſionem ejus Pla-
tonis de Legibus his verbis idem Cardinalis
perſtringit, prooemio libri in eam ex profeſ-
ſo ſcripti. " Exponam autem non omnes e-
" jus errores, longum enim id admodum eſ-

" ſet, cum nullus ſit locus, qui vacet errore, " ſed carptim ea duntaxat colligam, quae vel " quilibet interpres intelligere facile potuiſſet, " et ſine tanta labe conſcribere. Ex his per- " cipi facillime poterit, quam in graviori vel " ſententiae vel elocutionis genere deficere hu- " jus interpretis ingenium oportuerit: quando- " quidem in locis adeo facilibus labitur, errat, " jacet, et turpiter ab eo, quem interpretatur, " authore recedit."

Ob ea quae praeſtitit in Ptolemaeum, maledictis proſcinditur ab anonymo quodam in epiſtola Graeca ad ipſum conſcripta. Cui reſpondet in epiſtola alia Graeca Trapezuntius. Utramque epiſtolam habes apud Allatium cum Latina verſione.

Adverſarios alios habuit, viz. Nicolaum Junium de Athenodo, epiſcopum Cetegertanum, et in Caſtro S. Angeli de urbe Praefectum: Nicolaum Perottum, et Joannem Regiomontanum, Germanum; hic librorum Ptolemaei περὶ μεγάλης πραγματείας interpretationem et commentarios ejus reprehendit in libris illis, quibus Theonem defendit. Quod tam aegre tulit Trapezuntius, ut cum poſtea Regiomontanus Romam ſe contuliſſet, et peſte ibi epidemica interiiſſet, ſuſpicio nonnullis eſſet, eum a Trapezuntii filiis (de filiis enim ejus, non filio tantum, loquuntur) veneno ſublatum fuiſſe.

Junius et Perottus in illum ſcripſere, quia Turcas omnibus imperatoribus praeſtantiores eſſe voluit. In opere [a] vero ſuo Perottus acerrime

[a] Ap. Allatium.

in

in illum invehitur, orationem ejus tanquam barbaram, puerilem, ineptam, et ne mediocriter quidem erudito viro convenientem dicit. Inter alia opprobria foediſſima, belluam, putridae carnis inutile fruſtum, et haereticum appellat. Ait illum " ter intra annos xv. carcerem fuiſſe expertum: primo iracundiam, " ſecundo libidinem, tertio perduellionis cri-" men eum in vincula compuliſſe." De eo praeterea haec habet: " Nam quia caſu neſcio " quo, opinione olim quadam doctrinam con-" ſecutus in Italia fuerat, primis illis tempori-" bus, quibus revocari in lucem, quae diu " ſepulta fuerant, optimarum diſciplinarum " ſtudia coepere, poſtquam adventu doctiſſi-" morum virorum, quos Nicolaus V. Pont. " undecumque in urbem accivit, ignorantia " tua detecta eſt, praeſertim interpretatione " problematum Ariſtotelis, quae Theodorus " Theſſalonicenſis utriuſque linguae doctiſſimus " edidit: Mox te rabies quaedam immenſi fu-" roris invaſit, ac veluti Draconis epoto ca-" lice inſanire, ac palam furere coepiſti inſtar " rabidi canis, huc atque illuc anxius circum-" ferri. Jamque non modo ipſum Theodo-" rum, ſed quoſcunque Theodoro favere in-" telligeres. Omnes autem ei palmam jure " optimo debent in eum genuinum exercere. " Hinc te ſemper furiae agitare, hinc ſuperbia, " indignatio, invidia praecipitem ferre. Hinc " tu maledictis in omnes invehi, non principi-" bus, non cardinalibus, non ſummis pontifi-" cibus parcere."

De

De illius verſione Ptolemaei et commentariis idem Perottus haec habet: " In commentariis, quos in magnam Compoſitionem Ptolemaei furto a Theone ſubtractos edidit, tum " etiam in margine Problematum Ariſtotelis, " quae a Graeca lingua in Latinam pervertit, " —— Mentitur ſe Ptolemaeum, quem jam " diu non Latinum ſed barbarum, et multis " in locis mendacem fecerat, nondum edidiſſe, " ideoque tam egregium opus ad eum miſſurum, et nomini ejus ſe dedicaturum pollicetur una cum commentariis, quibus ſeſe id " opus expoſuiſſe gloriatur, in quibus nihil eſt " alicujus dumtaxat momenti, quod non ſit a " Theone Ptolemaei expoſitore ſubtractum. " Sed verba ineptiſſima ponemus; Ptolemaeus " jampridem in Latinam a nobis traductus " linguam eſt, ſed non adhuc editus. Et quoniam ad hunc uſque diem non recte intellectum Almageſtum comperimus, commentariis ipſum noſtris expoſuimus." Haec Perottus. Cui tantam in eum bilem id commovit, quod contra Beſſarionem, cui ipſe ab epiſtolis erat, ſcripſiſſet Trapezuntius. Edidit idem epiſtolam ad Beſſarionem, in laudem ejus libri, quem pro Platone adverſus Trapezuntium ille emiſerat.

Æmulum quoque illius fuiſſe Joannem epiſcopum Alerienſem Genebrardus in Chronico monet.

Æneas Sylvius epiſt. xcv. " In Rhetorica " Ariſtotelis per Trapezuntium tranſlata invenio in exemplis Ciceronem nominari. Neſcio " cur id egerit Trapeſon. Nam cum ad ver-

" bum

" bum fieri translationes soleant, ut si sententiae " transferantur danda est opera, ut ad verbum " factae videantur. Nescio cur Cicero nomi- " netur in Aristotelis operibus, qui nondum " natus erat, dum volumen editum est, nisi " Cicerones etiam ante Aristotelem fuerunt."

Raphael Volaterranus: [b] " G. Trapezuntius " patria venit e Ponto Romam, Eugenio se- " dente: Peripateticus et ipse vir, labore assiduo " circa disciplinas omnes, utriusque linguae " interpres eruditissimus. Scripsit de Rheto- " rica: vertit magnum Ptolemaei opus, quod " Almagestum vocant; quare a Nicolao V. " Apostolicus scriba factus fuerat ob literas, " publicoque salario profitebatur, quem ego " senem puer docentem audivi. In extrema " senectute oblitus erat omnino literarum, so- " lusque urbem baculo nixus incedere solebat. " Decessit prole superstite." Errorem dupli- cem hic errat Volaterranus, et cum dicit illum e Ponto in Italiam venisse, et cum innuit illum Romam venisse, quando primum in Italiam appelleret.

Jacobus Philippus Bergomensis ad annum MCCCCXXXIX. " G. Trapezuntium doctissimum " profecto virum Apostolicum secretarium — " qui ab Eugenio Pont. Romae publico gym- " nasio vocatus, multis annis Hispanos, Galloś- " que ac Germanos, una cum Italis, oratoriam " et poeticam docuit disciplinam. Qui ex " monumentis suis rhetoricam quandam com- " posuit, non improbandam; et dialecticen;

[b] Anthrop. l. 21.

" atque

" atque in orationes Ciceronis paraphrases utilissimas composuit; et alia quaedam. E " Graeco autem Eusebium Caesariensem De " praep. Evang. mira eloquentia transtulit, ad " Nicolaum Pont."

Platina vita Eugenii IV. " Liberalis in omnes, tum vel maxime in litteratos, quorum " familiaritate delectatus est. Nam Leonardum " Aretinum, Carolum, Poggium, Aurispam, " Trapezuntium, Blondum, viros doctissimos, " secretis suis admisit."

Sabellicus Enneadis X. libro IV. " G. Trapezuntius, quem Eugenius Romam accersivit, " philosophus et rhetor insignis, in Platonem " scripsit, Peripateticae disciplinae fautor; estque ab eo Plato magno stomacho accusatus, " sed majore aliquanto a Bessarione Niceno " antistite defensus. Scripsit et rhetoricos libros " Hermogenem imitatus, in quo non mediocrem est laudem adeptus." De L. L. Reparat. " Eminentissimi quanquam diverso genere " Bessario Nicenus antistes, et G. Trapezuntius, uterque Graii sanguinis: hic Platonis " oppugnator, ille defensor: sed alter (ut fertur) et ut res ipsa declarat, in philosophia " major, in elocutione alter: utpote qui de ratione dicendi nonnunquam scripserit, rhetoricenque docuerit."

Coelius Rhodiginus Lect. Antiq. xxi. 48. " Nec illud reticuero: Georgium Cretensem, " qui Trapezuntius dici maluit, conditis voluminibus, Platonis vitia expendisse plura: quo " argumento sit Caenotimon nuncupatus, atque

" Erinnys

" Erinnys item: quomodo eſt a Beſſarione in-
" ſigniter proſciſſus."

Eraſmus Epiſt X. ad Budaeum: " Sed quid " facias, ſi praeterea nemo quicquam de Copia " praecepit? Fabius paucis atttigit modo. Tra- " pezuntius Hermogenis compilator copioſe " pollicetur de Copia; at cum pollicitantem " uſque ſequenti mihi jam vertigo capitis obo- " riretur, nihil unquam de Copia comperi, " quod alicujus eſſe momenti videretur." Idem in Praef. in S. Baſilium, ad Sadoletum: " In " his quae Baſilii titulo Latine verſa tenemus, " Baſilii maxima pars abeſt. Georgius Tra- " pezuntius, homo doctus, ingenue fatetur ſeſe " imparem ſuſcepto negotio, quod neque tanta " Romani ſermonis adeſſet facultas, quae Grae- " ci ſermonis gratiam elegantiamque referret, " nec rei theologicae tanta peritia, ut ubique " rerum, quae tractantur, ſubtilitatem aſſeque- " retur." In Ciceroniano ait " illum fuiſſe " virum egregie doctum, deque re literaria " pulchre meritum, et ſe ad Ciceronis dictio- " nem effingendam ſtudio compoſuiſſe; ſed " abſolutiorem eo fuiſſe Theodorum Gazam."

Gyraldus: [e] " Hos paucos commemorabo, " atque in primis Georgium Cretenſem, qui " ſe Trapezuntium vocari maluit, veritus, ut " puto, veteris poetae Epimenidis verſiculum, " quem et aemulatus eſt poeta Callimachus: " docti plerique Georgium mecum fatentur " verſus compoſuiſſe, quod vel palam cogno- " ſcere poteſtis, ex iis quae de Orpheo, Mu-

[e] De Poetis ſui temp. l. 1.

" ſaeo,

" ſaeo, Lino et aliis pluribus Graecis, in Lati-
" num convertit apud Euſebium Pamphili; et
" licet eum librum ad Graeci exemplaris fidem
" non totum expreſſerit, ut ex Graeco codice
" facile videre poteſtis, carminibus certe va-
" luit: non vobis nunc recenſeo, quot et quan-
" ta volumina vel ipſe compoſuerit, vel ex
" Graecis Latinae conſuetudini tradiderit, et
" niſi in D. Platonem omnes maledicentiae
" habenas relaxaſſet, poterat cum caeteris ſui
" ordinis reponi: hinc data fuit anſa Beſſarioni
" pro Platone eum confutandi, et ei parem
" gratiam referendi."

Trithemius (qui omnes tamen ſuos ſcriptores ſine ullo laudat judicio) illum vocat non modo virum undecunque doctiſſimum, philoſophum, et Rhetorem, ſed et poetam celeberrimum. Subdit eum " ab Eugenio Pontifice gymnaſio
" publico Romae praefectum, multis annis
" Rhetoricam et Poeticam diſciplinam docuiſſe,
" et diſcipulos plures in omni ſcientia peritiſſi-
" mos poſt ſe reliquiſſe."

Jovius: " Is Graecorum fere primus, Romae
" eo tum ſeculo renaſcentibus literis, qui Grae-
" ca feliciore ſtylo in Latinum verterint, exiſti-
" matus eſt, uti liquidiſſime conſtat ex Ariſto-
" telis ſacriſque Euſebii Caeſarienſis operibus,
" et ex rhetoricis praeceptis Hermogenis. Erat
" enim ingenio ad lucubrandum maxime va-
" lido, vehementique, ſed uti mox apparuit,
" tetrici livoris pleno: nam quum ſe Peripate-
" ticum profiteretur, unumque Ariſtotelem
" extollendo celebraret, uſque adeo ſuperba
" aure fuit, ut nec divini quidem Platonis in-

" genium laudari pateretur, cujus etiam dogmata et mores peracerbe ac insolenter edito famoso volumine laceraret. Sed Bessarione generosa eruditione, illustrique facundia, Platonem defendente, Georgius vim tanti fluminis sustinere non potuit, quum publica invidia deflagraret, quod summae authoritatis philosophum magistrumque sanctioris vitae, ac ideo Christianae disciplinae proximum, impio ac incesto ore proscidisset."

Quanti eum, Versionesque ejus, aestimaverit Politianus, ex verbis ejus supra in Theodoro descriptis, liquet. Contra illum vero, et Politianum, qui illius gratia Theodori fama detrahere voluit, haec habet Janus Parrhasius: [d] " Quod Alexandrini Clementis testimonium citavimus, in Eusebii Latinis Commentariis haud extare fateor. Ergo tabulas falso signasti? Non equidem, sed is qui Latine vertit Eusebium. Nam cum festinat ad praemium, quod a Nicolao V. Pont. Max. propositum suo labori certo sciebat, Eusebii maximam partem nobis invidit. Eat nunc Politianus, et Trapezuntium Theodoro Gazae comparet, homini, qui totus a Varrone Columella, Plinio, Cicerone, et Apuleio aliisque receptissimis auctoribus pendet, quibus copia, proprietas, et elegantia tribuitur, ut etiam Latinis omnibus aetatis nostrae laudem praeripuisse videatur; cum interim Trapezuntius, quasi penes eum jus et arbitrium novandarum dictionum foret, nihil non sibi

[d] Epist. 60.

" arroget, ac in plerisque somniculosus desidio-
" susque deprehendatur. Vix enim nostrae li-
" teraturae rationem primoribus (ut aiunt) la-
" biis attigit, ut hospiti saepe soloecophanes
" non ornatus gratia, sed inscitia Latini sermo-
" nis, risum excitet, iis potissimum locis, ubi
" rhetorum clausulas affectat. Extat adhuc Ve-
" netiis ejus invectivae particula, agentis inju-
" riarum cum Theodoro, quod is Graecos li-
" bros in Latinum sermonem vertisset, quos
" jam Latinos ipse fecisset, ibique (si diis pla-
" cet) insectatur ut portenta verborum, quibus
" optimi quique scriptores utuntur. Et audet
" Politianus asserere, Trapezuntium multa fe-
" cisse rerum vocabula ex imitatione veterum.
" Quos hic appellet veteres, equidem nescio,
" nisi recentissimos quosdam fandi rudes, qui
" plus Graecarum quam Latinarum dictionum
" in Aristotelicam translationem congessere,
" quasi magnum fecerint quod Graecis Latina
" miscuerint: Hos enim sectatus est Trape-
" zuntius: ab iis ungue latius non discedit.
" Utinamque saltem in iis, quae suscepit inter-
" pretanda, non fecisset imposturam cum sum-
" mo studiosorum detrimento: quod non ne-
" gabit quisquis Eusebii Graeca Latinaque
" scripta sumet in manus."

Ludovicus Vives De tradendis discipl. lib. 3.
" Gaza minus est felix G. Trapezuntius, et
" verbosior, minore etiam verborum delectu."

Carionis Chronicon a Melanchthone et Peucero auctum: " Trapezuntium Gaza acumine in-
" genii, dexteritate judicii, et linguae utrius-
" que peritia, superavit."

Franciſcus Floridus Sabinus: [e] Non paucos
" Graeciae debemus viros excellentes, ac utri-
" uſque literaturae peritiſſimos, qui nos partim
" Graeca vertendo, partim Latina tractando,
" ſupra modum juverunt: ſed hos eximios, Beſ-
" ſarionem Nicenum praeſulem, philoſophum
" egregium, Argyropylum Byzantium, Ge-
" orgium Trapezuntium, de Latina rhetorica
" non ſine magna laude poſt tot ſummos viros
" ſcribere auſum, ac Theodorum Gazam."

Joannes Franciſcus Picus Mirandulae comes examinis doct. vanit. gent. 1. 9. " Colligamus
" ex Euſebio, non eo qui verſus in noſtram
" linguam a G. Trapezuntio, nam diminutus
" et mancus adeo, ut nec tertia pars videatur
" eſſe tranſlata, at ex Graeco ipſo Euſebii con-
" textu magno in primis et copioſo." Ibidem
11. 37. " Qua de re plurimi ſcripſere, ſed in-
" ter alios Euſebius Caeſarienſis Epiſcopus libros
" egregios, quibus titulum fecit De demonſtra-
" tione Evangelica, neque enim contentus li-
" bris, non quatuordecim qui a Trapezuntio
" tralati ſunt manci (ut diximus) & diminuti,
" nec ea forte de cauſa quod autumarit ante
" Niceni decreta Concilii illud opus elaboratum
" (nam quae praetermiſit, quae poſthabuit, quae
" conniventibus oculis tranſiliit, multa non ad
" illa decreta, ſed ad philoſophorum magis dog-
" mata, ad hiſtorias rerum, locorum, tempo-
" rum, pertinent) ſed ea forte quod vel illi labor
" obfuit, vel diminutum et lacerum habuit ex-
" emplar: non, inquam, quatuordecim illis,

[e] Apol. in L. Lat. Calumniat.

" in

" in quibus si tertia, non dimidia inest Eusebii " doctrinae pars, sed quindecim integris et ab- " solutis." Subdit hoc opus Eusebii, cum plura secula delituisset, sic ut putaretur amissum, opera et diligentia Bernardi Micheloctii Florentini sacerdotis ex Asia superioribus annis in Italiam, tanquam ex Arabia Phoenicem, advectum fuisse, ejusque sibi copiam factam fuisse; quod nisi primo in libro capite diminutum invenisset, et in decimo semilacerum, ex Graeco in Latinum vertere se tentaturum fuisse.

Hadrianus Junius animadversorum VI. 23. " Caeterum Eusebii lectio movit mihi stoma- " chum, interpretis G. Trapezuntii verba et in- " eptam versionem cum Graecis conferenti.

Franciscus Vigerus, qui Eusebium De praep. evang. de novo convertit. " Extitit ante hoc " centum annos Trapezuntius, homo et na- " tione Graecus, et Latinis insuper literis non " mediocriter informatus: qui si horum ad li- " brorum interpretationem quantum eruditionis " ac solertiae afferebat, tantum a curis gravio- " ribus temporis et otii conferre potuisset, no- " bis utique legendi voluptatem, non alterius " operae necessitatem reliquisset. At dum, " quod ipsemet vel excipit, vel excusat, cum " eorum, a quibus urgebatur, desiderio ver- " tendi celeritatem aequare gestiret, Eusebium " Eusebio suffuratus est; itaque suo ex sensu, " vultum ei, specimenque finxit, ut ab eo Tra- " pezuntium verius, quam Eusebium, habere- " mus. Ita capitum ordinem, numerumque " mutat, ita sententias, periodos, paginas non- " nunquam integras interpolat, modo quod

" longe gravius eſt, expungit ac reſecat. Li-
" brum certe decimum quintum ne attigit qui-
" dem." Veriſimile eſt librum iſtum XV exemplari imperfecto, quo uſus eſt Trapezuntius, defuiſſe.

Chriſtophorus Sanderus [f] ait illum ita vertiſſe Euſebii libros De praep. evang. ut " ſenſibus A-
" rianorum amputatis, roſas tantum hominibus
" Latinis obtulerit." Multa in gratiam aulae Romanae peſſime corrupiſſe, ait Scultetus [g]. Ger. Voſſius inſtitut. orator. IV. 3. " Profecto ju-
" ſtam laudem non ibo G. Trapezuntio erep-
" tum. Attamen nec tanta ejus eſt apud me
" auctoritas, ut ejus ſententia apud me ſit Mi-
" nervae quidam calculus. Minime profecto
" conferri meruit cum Th. Gaza, cui eum
" aequiparavit Angelus Politianus. Itaque jure
" politiſſimi ingenii virum hoc nomine repre-
" hendit Parrhaſius in epiſtolis.——Neque ig-
" noro, Trapezuntium errores aliquot obſervaſſe
" in tranſlationibus Gazae, quos hic monitus
" correxit, uti et memoriae prodidit Eraſmus;
" verum et illud ſcio, longe plura eſſe in Tra-
" pezuntianis, quae Gaza potuerit culpare. Nam
" et in eo deſiderare potuit fidei plus in tranſ-
" ferendis e Graeco auctoribus, & majorem lin-
" guae Latinae peritiam."

Huetius de claris interp. " Quo magis mi-
" ror G. Trapezuntium Beſſarionis familiarem,
" et aſſeclam [quare eum ſic appellet non video] " tam illuſtri exemplo minime adductum
" intemperantiſſime luxuriaſſe; cum praeſertim

[f] Nucleo Hiſt. eccl. [g] Medul. patrum.

" in phyſicis, vel theologicis interpretandis fere " verſatus ſit, iſtiuſmodi quippe res, ut Tul- " liano more loquar, dicere ornate velle, pue- " rile eſt: plane autem et perſpicue, docti et in- " telligentis viri. Nonnunquam etiam aucto- " rem ſuum intra eas concludit anguſtias, ut " tota ejus membra recidat, quorum et ordinem " quandoque audet pervertere. Nativos prae- " terea ſenſus neque rimatur feliciter, neque " polite reddit; et quibus ſolis excuſari poteſt, " interpretationis licentia, vel aſpernatus eſt ele- " gantias, vel aſſequi ſe poſſe deſperavit."

Incerti in eum epigramma.

Hac urna Trapezuntii quieſcunt
Georgii oſſa, parum Deis amici,
Quod acri et nimium procaci lingua
Platonem ſuperis parem petivit.

Falluntur haud dubio, qui exiſtimant hoc epigramma illius ſepulchro fuiſſe inciſum.

CAP. V.

De BESSARIONE CARDINALE.

INEUNTE anno MCDXXXVIII. ad concilium Ferrarienſe, quod poſtea ob peſtem ibi graſſantem Florentiam tranſlatum eſt, et inde nomine Florentini magis notum, acceſſit Joannes Palaeologus imperator Conſtantinopolitanus, doctiſſimorum virorum totius eccleſiae Graecae praeclaro agmine ſtipatus, ad unionem inter eccleſias Graecam et Romanam reſarciendam. Lapis Caſtelliuncula, qui eidem concilio interfuit, in dialogo MS. De curiae (Romanae) commodis, Graecos illos nimis leviter deſcribit tanquam in habitu, aſpectu, cultu ridiculos: Vide verba ejus ſupra in Chryſolorae vita prolata. Idem tamen eorum nonnullos doctrinae nomine his verbis laudat: " Quorum ſunt " quidam, eorum regem ſecuti, ita eruditi homines, ita ſuis diſciplinis omnibus ornati, ut " cum majoribus ſuis mea quidem ſententia " conferendi ſunt. Horum ego ſermonibus " cum interſum, quod ſaepiſſime contingit, in " academia illa veteri et Licio verſari videor."

Inter eos enituit Beſſarion, archiepiſcopus Nicenus, patria Trapezuntius, ordinis S. Baſilii monachus, diſcipulus primo Chryſococis Conſtantinopoli, poſtea Gemiſti Plethonis, non Conſtantinopoli, quod dicunt nonnulli, ſed in Peloponneſo: a nonnullis Beſarion, Biſſarion, et Biſarion

ſarion dictus; ab aliis Bizarion, ut in inſcriptione epiſtolae ineditae Alexandri Braccii ad illum datae. Trapezuntium patria fuiſſe affirmant Joannes Gobellinus [h], Bartholomaeus Platina [i], Laonicus Chalcocondyles, et Michael Apoſtolius, ejuſdem aevi ſcriptores. Sic in inſcriptione epiſtolae ad Apoſtolium in cod. Baroc. Βησαρίων Τραπεζούντιος Νικαίας καρδινάλιος. Quin et extat ejus laudatio patriae ſuae Trapezuntis. Conſtantinopolitanum paſſim minus recte vocat Onuphrius [k], aſtipulante etiam Blondo Flavio: "[l] Biſarion ex Conſtantinopoli urbe Graecus, "cui Niceno vulgaris eſt appellatio."

Poſt annos XXI. in monaſterio Peloponneſi exactos, parata a Joanne Imp. in occidentem profectione, ab eo inde eductus eſt, et ad praeſulatum Nicenum promotus. Amyrutſius ait imperatorem, "Beſſarionis conſilio utentem, "quem ſibi concordem et in omnibus aſſentientem atque adblandientem habebat, ſtatuiſſe undequaque praeſulum et hominum ſapientum, qui primas in rebus theologicis prae ſe ferebant, abſolutiſſimum coetum in unum "cogere," qui de profectione in Italiam obeunda conſulerent. "Significavit imperator" (ut refert hiſtoria politica Conſtantinopolitana) "ditionis ſuae "praeſulibus, et viris ſtudio literarum deditis, eruditioniſque laude praeſtantibus, qui Conſtantinopolin advenerunt: viz. epiſcopus Trapezuntis, cum philoſopho Amyrutze, Beſſarion epiſcopus Nicaeae, epiſcopus Ruſſiae, Gemiſtus

h Comment. Pii II.

i Orationibus funebribus in eum ſcriptis a Petro Pantino cit.

k De pont. et card. creatione.

l Romae inſtauratae lib. 3.

"philo-

" philoſophus, aliique delecti: qui, convenien-
" tes cum patriarcha Joſepho, et liturgia in
" maximo Dei ſapientiae templo peracta, na-
" vigare decreverunt, Exarcho ſynodi deſignato
" Marco Eugenico Epheſi metropolita." Sguropulus [m] teſtatur, cum Marcum Eugenicum metropolitam Epheſium, tum Beſſarionem, cum Dionyſio Sardium praeſule, ad dignitatem epiſcopalem promotos fuiſſe, " ut tanquam primipi-
" lares et anteſignani, pro reliqua Graecorum
" multitudine, et religione patria, contra Lati-
" nos in prima acie depugnarent." Beſſarionem Ferrariam ad ſynodum venientem, una cum Gemiſto et Amyzutze philoſophis, ante alios omnes ad convivium invitat, ad captandam cum eis gratiam [n], Julianus Caeſarinus cardinalis, Latinorum in ſynodo anteſignanus, interque prandendum philoſophica problemata per interpretem propoſuit. Ad diſputationem cum Latinis ineundam ab imperatore deſignati ſunt Marcus Epheſius et Beſſarion cum aliis quibuſdam [o]. Quibus omnibus mandavit imperator, ut praeter Epheſium et Beſſarionem nemo pro Graecis ad Latinos loqueretur, caeteri tantum cum illis conſulerent, ſi quid diſputando occurreret difficilius. In primo congreſſu cum Juliano cardinale, quum Epheſius longe infra conceptam de ſe opinionem, ſcholaſticis illius diſputandi formulis inſuetus, ſubſideret [p], Beſſarion rem praeclare geſſit. In aliis vero conventibus cum de purgatorio eſſet diſputandum [q], de iſto argu-

[m] Hiſt. Conc. Florent. ſect. 3. c. 15. [n] Ibid. ſect. 5. c. 2. [o] Ibid. ſect. 5. c. 3. [p] C. 5. [q] Sect. 5. c. 13.

mento

mento concertare recusavit. Et si Ephesium aliquatenus adjuvit, id raro tamen fecit [r], et subobscure. Postulantibus Latinis, ut scripto de purgatorio res ageretur, provincia illa ab imperatore Ephesio demandata, ei additus est Bessarion cum aliis nonnullis, qui ei, si opus esset, opitularentur. Non eum adjuvit Bessarion, sed potius interturbavit, ipseque aliud scriptum composuit, quod nonnulli imperatori persuadere conati sunt, ut solum Latinis transmitteretur, " [s] utpote stilo " magis compto, eleganti, et rhetorico orna-" tum." Imperator cum in utriusque scriptis nonnihil castigasset; quoniam primordia discursuum, et jacta fundamenta, in Bessarione clariora, demonstrationes et ratiocinia in Ephesio enitebant, jussit illius praefationem, et si quid porro praeclarum in ejus scriptis contineretur, ad ferme omnia quae procudit hic praestantissima adjungi. Et huic operi praefecit, praeter illos ipsos, Gemistum, utriusque olim praeceptorem, et Amyrutzen, qui utriusque flores in unum sertum compaginarent. Ab hoc tempore in mutuam offensam impegerunt Ephesius et Bessarion. Et Bessarione in Latinorum partes pedetentim propendere, et pontificis gratiam aucupari, deprehenso, in ea tandem convitia prorupere, ut Ephesium [t] Cacodaemonem appellaret Bessarion, " quem impurus spiritus " exagitarit, et jam diu coeperit solemniter in-" sanire:" e contra ab eo appellatus " Spu-" rius prognatus semine meretricio, qui natale " solum ut nothus perfidia dehonestare non

[r] C. 14. [s] C. 14. [t] Sect. 9. c. 6.

" cohor-

"cohorruerit." In omnibus ſynodi ſeſſionibus ii duo inter Graecos primas tenuere. In ſeſſione prima, geſta Octobris ſexto, diſſertationem Graece legit Beſſarion [u] ad imperatorem, papam, et ſynodum, quam in linguam Latinam tranſtulit Secundinus, ſynodi interpres. Nondum velo detracto ad Latinos penitus defecerat, ſed in ſeſſione ſeptima propoſita a Latinis forti oratione ac facunda [x] perſtrinxit, quae cuncta ſolerti meditatione poſtmodum recollecta Georgius Scholarius ſcripto commendavit. Poſthaec apertius Latinis favit; et ſolus [y] cum Iſidoro Ruſſiae archiepiſcopo, et magno primicerio, ad privata imperatoris unionem exoptantis conſilia adhibitus eſt. Tres illi jam imperatori conjunctiſſimi, quae ipſi placuere ſanxerunt, & ſumma cum contentione proſecuti ſunt: cunctoſque aulae gratia et favore imperiali praetervecti enituerunt, ipſi cum ſuis clientibus et aſſeclis, dum alii intimis iracundiae procellis contacti diſcedere juberentur. Paciſcendum eſſe cum Latinis [z] decernunt, perſuadere caeteris [a] conatur Beſſarion; e S. Cyrillo et Epiphanio nonnulla recitat, ſed fraudulenter et mala fide, ſi credimus [b] Sguropulo, ab his "initia ſententiarum praeſcindens, "ab illis extremas voces decurtans, multa ſub-"ticens, multa diſſimulans." In definitione ſynodi, quam confecerat Ambroſius monachus Camaldulenſis, emendanda limandaque ſatagebat, voces aliquot [c] in phraſes venuſtiores, et loquendi genus magis Atticum, mutando. Qui

[u] Sect. 6. c. 17. [x] C. 21. [y] Sect. 8. c. 4. [z] C. 15.
[a] Sect. 8. c. 12. [b] Sect. 9. [c] Sect. 10. c. 3.

isti

isti non subscriberent, excommunicationis fulmine feriendos esse [d], contendebat, suffragante Russensi, quod tamen, refragantibus aliis, non obtinebat. Ad papam de unione jam facta [e] orationem habuit, venustis phrasibus et rhetorica eloquentia nitentem, in qua de verbis in eucharistia consecrantibus nonnulla dolosa machinatione explicuit tanquam a communi Graecorum consensu [f], caeteris, qui definitioni Synodicae subscripserant, nec consentientibus nec scientibus. Quam orationem Latini in definitionem inseri petiverunt, sed imperator nullatenus permisit. Decreta synodi publice perlegebant ille Graece, Julianus cardinalis Latine; cumque illi qui aderant ex utraque parte suffragiis suis ea approbassent, in amplexus mutuos Julianus et Bessarion se implicuere. Haec sunt quae in synodo ista praestitit Bessarion. Sunt qui tradunt illum patriarchae Josepho Florentiae moribundo persuasisse synodi definitiones subscriptione sua confirmare. Alii tamen affirmant patriarcham absque ulla subscriptione spiritum exhalasse. Dum synodus vero ageretur, cum imperatore a praesulibus Graecis subsidium petente contra Turcas, quos Graeciam invasisse rumor erat, Bessarion indigentiam suam causatus est [g]: se tria septennia in monasterio mancipatum serviendo consumpsisse, et salarium annorum XXI. totos XL. florenos accepisse: Quorum XXVIII. in naulum et in victum quotidianum persolvisse nauclero, cum ab imperatore vocatus ad synodum e Peloponneso Constantinopolim

[d] C. 4. [e] C. 8. [f] Sect. 10. c. 8. [g] Sect. 5. c. 11.

ad-

adveheretur: Quod reliquum erat, Constantinopoli in necessarios usus profudisse: ut sibi tunc nihil superesset: sed habere se tria doliola utensilibus capiendis comparata, quorum duo, inquit, in hanc collationem venundanda profero. Eodem modo et qui eum sequebatur antistes ait sibi omnino deficere rem nummariam, habere tamen se in suppellectile vestiaria duas togas episcopales, quarum unam lubentissime contributurus sit. His auditis, imperator consultum non duxit aliorum benignitatem praestolari.

Concilio soluto an. MCCCCXXXIX. Julii 6. imperatori caeterisque episcopis Graecis, Florentia Venetias Augusti 26. discedentibus, comitem se dedit, utrum usque ad Constantinopolim necne, incertum est. Hoc certum tamen, illum non diu post finitum concilium Constantinopolim rediisse: ubi sedulo S. Basilii librorum contra Eunomium exemplaria omnia investigabat, utrum Latinis an Graecis pater ille faveret exploraturus.

Eodem anno, 15. Cal. Januarii, sive praesens, sive absens, creatus est cardinalis presbyter, tit. Basilicae SS. duodecim apostolorum; cardinalis Nicaenus vulgo dictus. Quo eodem tempore in numerum cardinalium cooptatus est etiam Isidorus metropolita Russensis.

A Nicolao V. 10. Maii factus est archiepiscopus Sipontinus, et an. MCCCCXLIX. 3. Non. Martii episcopus cardinalis Sabinensis; pauloque post, 9. Cal. Maii ad sedem Tusculanam translatus est. Ignorantia erubescenda refert Pe-

trus

trus Pantinus Tiletanus [h] venisse "Romam (ex Graecia) "Bessarionem sub Nicolao V. docto- "rum Graecorum corona cinctum, et ab Eu- "genio IV. cardinalem creatum fuisse." Quasi vero Eugenius post Nicolaum V. floruerit. Nec minori errore, narrat idem Emanuelem Chrysoloram, Demetrium Chalcondylem, Constantinum Lascarem, Gemistum Plethonem, Theodorum Gazam, Joannem Argyropylum, et G. Trapezuntium, illum in Italiam fuisse secutos. Nimirum hos omnes credidit post Constantinopolis excidium in Italiam una profugisse. Quo errore etiam alios, magni nominis viros, versari, in Emanuele Chrysolora jam supra animadvertimus.

A Pio II. an. MCCCCLXIII. praefectus est monasterio Criptae Ferratae in villa Ciceronis Tusculana sito, ubi more Graecanico sacra peragebantur: quod novis et pulcherrimis aedificiis instaurabat. Ab eodem, ineunte anno MCCCCLXIII. creatus est titulo tenus patriarcha Constantinopolitanus, in loco Isidori antedicti tunc defuncti. Per multos annos, ab usque pontificatu Pii, collegii cardinalium decanus erat. Pampilonensis quoque ecclesiae administrator perpetuus fuit. Designabatur etiam cum a Dominicanis, tum etiam a Franciscanis fratribus, perpetuus patronus ac protector.

Errat Paulus Jovius, qui tradit illum ipsius synodi Florentinae tempore cardinalitia dignitate insignitum fuisse. Fallitur quoque Phranza [i], qui scribit illum ab imperatore et synodo

h Praef. in apostolii adag.

i L. 2. c. 17.

Floren-

Florentina, post defunctum Josephum, patriarcham creatum fuisse. Quod falsissimum esse, demonstrant cum alia luculenta testimonia, tum historia synodi, ubi legimus pontificem Romanum post finitam synodum imperatorem et Graecos episcopos hortatum fuisse, ut in locum defuncti Josephi patriarcham eligerent, nempe vel illum qui apud Latinos titularis patriarchae Constantinopolitani nomen habebat, vel alium quemvis e suorum numero; respondisse vero imperatorem, electioni patriarchae [k] nec tempus nec locum favere: sed Constantinopolim se reversum, totum clerum convocaturum, ac pro legibus ecclesiae electum rite patriarcham renuntiaturum. Rursus fallitur Phranza, cum dicit illum Constantinopolim nunquam fuisse reversum: se in urbem Constantinopolim rediisse, post celebratum Concilium, testatur ipse Bessarion epistola ad Alexium Lascarin. Neque illi non errant [l], qui tradunt illum soluto Concilio, in Graeciam reversum, patriarcham Constantinopolitanum ab imperatore et Latinorum fautoribus designatum fuisse, verum Graecis, quotquot Florentiae fidem non decoxerant, avitam religionem mordicus retinentibus, dignitate patriarchali cedere necesse habuisse. Alii perperam conjecturam faciunt, tum praesentem electum fuisse, sed noluisse acceptare. De novi patriarchae electione facta, postquam imperator cum praesulibus Constantinopolim rediisset, plene disserit Sguropulus, ipse praesens, et Metrophanem Cyzici episcopum fuisse electum, Bes-

[k] Sect. 10. c. 12. 16.

[l] Supplem. hist. lit. Cavei.

ſarionem vero inter eligendos ne nominatum quidem, ex eo apertiſſimum eſt. At quando et a quo patriarchae Conſtantinopolitani titulum accepit, luculentiſſime nos docet Joannes Gobellinus ejuſdem aetatis ſcriptor in commentariis Pii papae II [m]. Referens ille Iſidorum, Ruſſenſem ſive Ruthenorum archiepiſcopum, poſt excidium Conſtantinopolis ad Nicolaum pontificem inde rediiſſe, haec ſubdit: " Quem aliquot annis poſtea defuncto Gregorio patriarcha Conſtantinopolitano, qui anno, quo Mantuam itum eſt, non ſine ſanctitatis opinione Romae obiit, Pius pontifex ad patriarchatus culmen evexit, eique fatis functo Beſſarionem cardinalem Tuſculanum virum doctiſſimum ſubſtituit, natione Graecum, genere Trapezuntinum." Longe fallitur Sanderus [n], cum innuit illum patriarcham Conſtantinopolitanum prius fuiſſe creatum, quam eccleſiae Romanae cardinalis ab Eugenio factus eſt. A Pio II. ad tantos honores evectus eſt, tametſi contra illum, cum pontifex eligeretur, ſuffragium dediſſet, qua de re agit Gobellinus idem in libro 1.

Literarum ſimul cultor et Maecenas eximius erat, et Romae habitabat ſub Quirinali [o], ad ſanctos apoſtolos. Deducebatur mane in Vaticanum, non exculto quidem et numeroſo, ſed uno virtutis nomine maxime decoro comitatu: quandoquidem praeclara Graecae Latinaeque linguae lumina, peregrinorum requiſita oculis, circa eum in triviis civium digito monſtrarentur. In his enim ſaepe conſpecti ſunt Trapezuntius, Ar-

[m] Lib. 11. [n] Elog. Cardinal. [o] Ibid.

gyropylus, Philelphus, Blondus, Pogius, Valla, Campanus, Platina, Leonius, praeter Theodorum Gazam, Andronicum Theſſalonicenſem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perottum, et Valerium Viterbienſem, quos [p] in famulatu habuit. Quibus viris, nullo aevo perituris, domi ſtipatus, uſque adeo extra invidiam glorioſa ſui fama fruebatur, ut Eugenius, Nicolaus, et Pius eum ſibi ſucceſſorem, ſi fas eſſet, adoptare percuperent. Neque optime de republica merito ſenatorum purpuratorum ſtudia deerant. Sed Paulo II. morte ſublato, in comitiis fatalis caſus tantae ſpei fortunam avertit. Ferunt enim tres ſummae auctoritatis cardinales, quum eo decreto, ut pontificem ſalutarent, abditum in cella conclavis adiſſent, nec admitterentur a Nicolao Perotto, qui ei a cubiculo fuit, quod tum lucubranti parcendum diceret, uſque adeo ſtomachatos, ut ſeſe indignanter avertentes reſponderent, ergo nec prenſanti, nec roganti quidem, ſumma dignitas erit inculcanda, ut quum e coelo ſuffragia expectet, ſuperbis demum ac ſtolidis janitoribus pareamus: ſtatimque ſuffragia Xyſto (ſeu Sixto) detuliſſe. Quo repente renunciato adoratoque, Beſſarion dixiſſe fertur: Haec tua, Nicolae, intempeſtiva ſedulitas, et tiaram mihi, et tibi galerum eripuit. Haec refert Paulus Jovius. Qui inſulſam iſtam fabulam ex anilibus hauſit rumuſculis. Verius eſt quod memoriae prodidit [q] Gobellinus; cardinales ſcilicet, Nicolao V. defuncto, de ſucceſſore ſollicitos, ac conclave (ut moris eſt) ingreſſos, variis conſul-

[p] Sanderus elog. card.

[q] Comment. Pii lib. 1.

tationibus

tationibus agitatos fuiſſe; et cum eſſet admodum difficile duas collegii partes in unum convenire, ſcrutinio ſemel atque iterum incaſſum peracto, collocutos fuiſſe inter ſe aliquos extra locum ſcrutinii, Beſſarionemque cardinalem eligere decreviſſe, quod is omnium aptior ad rempublicam gubernandam videretur, conveniſſeque numerum in eum ſufficientem: nec dubium viſum, quin ſequenti ſcrutinio pontifex a duabus partibus eligeretur, jamque ad eum ſupplicationes delatas fuiſſe. Quod ubi ad alios alterius partis delatum eſt, Alanum (ſic enim legendum, non Aldanum) cardinalem Avinionenſem, nunc iſtum, nunc illum circumeuntem, hujuſmodi verbis obſtitiſſe: Ergo eccleſiae Latinae Graecum pontificem dabimus? et in capite libri Neophytum collocabimus? Nondum barbam raſit Beſſarion, et noſtrum caput erit? en paupertas eccleſiae Latinae, quae virum non reperit ſummo apoſtolatu dignum, niſi ad Graecos recurrat. Sed agite, patres, quod libet: ego, et qui mihi credent, in Graecum praeſulem nunquam conſentiemus. Moviſſe ea verba nonnullos: adeo ut duae partes collegii nullo pacto ad Beſſarionem accederent. Qui cum una nocte pontifex conſtanti omnium opinione habitus eſſet, adveniente luce cardinalem ſeſe reperit, aliquanto minoris famae, quam antea fuerat: ut his accidere ſolet, qui magna e ſpe ceciderunt. Nominatum tamen fuiſſe Beſſarionem etiam in Sixti IV. electione, conſtat ex Jacobi cardinalis Papienſis epiſtola, numero CCCXCV. “ Rothomagenſis (inquit) Bononienſis, et Rea-“ tinus ſolum nominaverunt Nicenum: mihi

 “ tamen

"tamen luendae sunt poenae, qui illorum ex-
"empla sum secutus." Narrat etiam Gyraldus [r], quod cum posset Bessarion, post mortem Pauli II. summus pontifex creari, et jam id tota urbs Roma futurum vulgo jactaret, ad eum accessit Latinus Ursinus inter cardinales amplissimus, rogans eum ut sibi vellet, et Ursinae familiae, nescio quae privilegia scripto confirmare; quod si faceret, ei sua et suorum amicorum cardinalium suffragia daret. Ille, ut erat homo sanctissimus et integerrimus, severe admodum, et quasi jam pontificatum teneret, respondit, si ea ipsa privilegia majestatem ipsam pontificiam et honorem sanctae sedis continerent, omnia facturum. Indignatus Latinus adiit Franciscum de Ruuere cardinalem, qui eo biennio a Bessarione fuerat Minoritarum Franciscanorum magister generalis creatus, et ab eodem episcopus factus, et demum ipsius auctoritate ad ordinem cardinalatus assumptus, ab eoque petiit quae supra dicta sunt, si suo chirographo confirmare placuisset, omnia sua suffragia se daturum: ille non diu cunctatus, subscripsit, jureque jurando se omnia facturum, et majora pollicitus est, nil veritus patroni amplissimi reverentiam, qui eum ad tantum dignitatis gradum evexerat. Atque hac ratione pontifex electus est. Commemorat quoque Gyraldus Jovianam istam praedictam fabellam de Perotto.

Legationes IV. obivit. Primo Bononiam legatus a Pio II. anno MCCCCLVIII. juxta alios a Nicholao V. missus, difficilem praefecturam

[r] De poetis sui temp. dial. 2.

secunda

ſecunda fama annos plures adminiſtravit: Xantho Bentivolo potentia factionis ſuae, quae una Bononiae poterat, aliquando inſoleſcenti, ſic reſtitit in oculis populi, ut et caeteris exemplo eſſet, et noſcerent alii, non deeſſe animum praeſidi ad tuendam dignitatem officii. Academiam Bononienſem, revocatis nobilibus artibus, quae jam inde ob civiles diſcordias exularant, in priſtinum reſtituit. Ibi legitur, in aede ſervorum Mariae (vel olim legebatur) haec inſcriptiuncula:

BESSARIONI EPISCOPO TUSCULANO
CARD. NICENO BENEFACTORI
NOSTRO.

Profectus inde ad Caeſarem Fridericum in Germaniam fidei cauſa, quanquam aeger et gravis annis, ſumma tamen diligentia legationis muneribus omnibus perfunctus eſt. Bellum, quod inter Caeſarem fratremque Sigiſmundum gerebatur, interventu ſuo ſuſtulit, eoſque ad arma contra Turcam concitavit. Statuente deinde annis ſequentibus Pio II. ad bellum in Turcas ire, ad Venetos miſſus eſt, ubi in S. Marci platea, magno animi eloquentiaeque ardore ſacrum bellum vulgavit. Poſtremo in Galliam anno MCCCCLXXII. a Sixto IV. mittitur, ad pacem inter regem Ludovicum XI. ducemque Burgundiae inſtaurandum, et ad ſubſidia bello Turcico impetranda. Hanc legationem primo ambivit, poſtea vero in ſenatu depoſuit, valetudinem cauſatus, donec tandem, cum diu de ea fuiſſet conſultum, humaniſſime ad eum ſcri-

bente Gallorum rege, et regno suo legationem ejus futuram laetam affirmante, eam resumpsit. Spei plenus in Galliam venit, multa de rege, non pauciora de se promittens. Verum ei ob falsam de fide sua suspicionem incassum ivere labores suscepti. Mox ut regnum ingressus est, ipsi regi coepit esse suspectus. Progredi ad eum est vetitus. Menses duos ludibrio habitus, tertio tandem admittitur. Fertur illum a rege fraudis ac perfidiae nomine facete perstrictum fuisse: qui his eum salibus aggressus est, contrectata blande ejus barba, quam promissam pexamque ad delicias gerebat, exporrecto ad mimicam hilaritatem vultu, pronunciavit hunc versiculum apud Grammaticos tritum,

"Barbara Graeca genus retinent quod habere
"solebant."

Innuere quippe, ut erat politulus et acutulus ingenio, rex voluit, quod barbarorum Graecorum nominum exemplo, quae idem apud Latinos quod apud Graecos genus retinerent, pariter ipse homo Graecus, Graecam fidem, lubricam scilicet suspectamque, haberet, cujus proinde dicta promissaque flocci penderet. Uno atque eodem ingrato colloquio finitur legatio. Rediit moestus. Ad explicandas facultates nec locus fuit nec tempus. Dolore inde confectus, Ravennae [f], quo a Taurino devectus Pado erat, in itinere animam reddidit, eodem anno, nempe

[f] Male, *Viennae*, dicitur in monumentis virorum illustrium, ed. Trajecti.

MCCCCLXXII. 14. Cal. [t] Decembris. Sic habet [u] Onuphrius. Juxta [x] Phranzam, Novembris die 15. Domus ejus magna cura extructa in potestatem pontificis Sixti devenit. Corpus ejus Romam relatum, magnifice sepultum est, praesente ipso pontifice, quod antea nulli contigerat, in aede apostolorum, sacello et sepulchro marmoreo ab ipso sibi conditis cum hac inscriptione; sicut a multis repraesentatur:

BESSARIO EPISCOPUS TUSCULANUS S. R. E. CARDINALIS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, NOBILI GRAECIA ORTUS ORIUNDUSQUE SIBI VIVUS POSUIT ANNO SALUTIS MCCCCLXVI: AETATIS LXXVII.

Τοῦτ' ἔτι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσα σώματι σῆμα,
Πνεῦμα δὲ φευξεῖται [y] πρὸς Θεὸν ἀθάνατον.

Quod distichon, ab ipso confectum, Majoranus Salentinus ita vertit:

" Bessarion feci hunc tumulum, qui conderet ossa,
" Venerat unde olim, spiritus astra petet.

In ea vero inscriptione designatur annus non quo moriebatur, sed quo monumentum vivus

[t] Ughellus Ital. sac. to. 1. ponit diem Decembris 14. errore, ni fallor, exinde orto, quod eum obiisse 14. Cal. Decembris legisset.

[u] De pont. et card. creatione. [x] L. 3. c. 30.

[y] φυγεῖται apud Raph. Volater.

ſibi ponebat. Adeoque conſtat illum ad annum aetatis LXXXII. vivendo pertigiſſe, ſi modo vere repraeſentatur praefata inſcriptio, vulgo tamen aetatis anno LXXVII. obiiſſe, ex male forſan intellecta inſcriptione, perhibetur. Anno Chriſti MCCCCLXVI. obiiſſe, ex eadem perperam intellecta, ſcribunt Aubertus Miraeus et Sanderus: MCCCCLXXIII. Trithemius, et poſt illum Ughellus, aliique multi: MCCCCLXXIV. Bergomenſis. Anno autem MCCCCLXXII. contigiſſe mortem ejus, ex epiſtolis Papienſis certiſſimum fit. Cui anno aſtipulatur Phranza. Ughellus in epitaphio, pro MCCCCLXVI. male ponit MCCCCLXXIII. Conſpicitur integri ſepulchri forma in monumentis illuſtrium, ed. Francofurti MDLV. ubi deſunt iſta, " aetatis " LXXVII." Potuit itaque anno LXXVII. aet. mori, licet ad an. MCCCCLXXII. pertingeret. Oratione funebri laudatus eſt a Barth. Platina. Quam titulo auctoris non nominati citat Simlerus. Extat typis vulgata, mihi vero videre non contigit.

Funebrem in eum orationem Graece edidit Michael Apoſtolius, quae extabat in bibliotheca Petri Pantini Tiletani. Extat eadem etiamnum Pariſiis in codice quodam bibliothecae Naudeanae. Ubi etiam leguntur ejuſdem Apoſtolii in Beſſarionem verſiculi.

Oratio (ſive Platinae, ſive Apoſtolii, ſive alius cujuſpiam) in laudem ejus ſervatur Venetiis in ipſius bibliotheca.

An. MCCCCLXVIII. [z] bibliothecam ſuam vo-

[z] Minus recte nonnulli MCCCCLXIX.

luminibus

luminibus Graecis Latinisque refertissimam Venetias Roma transmisit, per Pet. Maurocenum Venetorum Romae legatum, et reipublicae Venetae dono dedit, sanctique Marci templo dicavit, epistola ad Maurum ducem et senatum conscripta; qua testatur " se semper a tenera " fere, puerilique aetate, omnem suum labo- " rem, omnem operam, curam, studiumque " adhibuisse, ut quoscunque posset libros in " omni disciplinarum genere compararet. Prop- " ter quod non modo plerosque et puerum et " adolescentem manu sua conscripsisse, sed " quicquid pecuniolae parca interim frugalitas " seponere potuit, in his coemendis absumpsisse. " —Quamvis autem huic rei toto semper ani- " mo incubuerit; ardentiori tamen studio post " Graeciae excidium, et deflendam Byzantii " captivitatem, in perquirendis libris Graecis " omnes suas vires, omnem curam, omnem " operam, facultatem, industriamque se con- " sumpsisse." Se urbem Venetam elegisse, qua bibliothecam illam suam reponeret, ob regiminis excellentiam, ob Graecorum ibi frequentiam, et propter beneficia, quibus illi civitati devinctus fuerat: quam sibi, subjugata Graecia, pro patria elegisset, et in quam ascitus, atque honorificentissime receptus fuisset. Quod voluminum bibliothecaeque tantae amplissimum munus miro patres excepere gaudio, ac in pulcherrimo nobilissimoque Ducalis palatii loco senatusconsulto deposuerunt. Extat epistola Bessarionis Viterbii data, ad calcem epistolarum philologicarum a Goldasto collectarum, et una cum senatus responso, in fine libri VIII.

Petri

Petri Justiniani historiae Venetae. Ubi illum nuncupat Justinianus virum literarum splendore excultissimum. Omnino fallitur Jac. Phil. Bergomensis, qui tradit illum hoc eis donum morientem ex testamento legasse. Libros suos primo dedit monasterio S. Gregorii Majoris in insula sito, postea vero, quo facilior fieret ad eos aditus, instrumento novo jussit, ut in templum S. Marci amoverentur. Posterioris hujus Instrumenti donationis apographum habemus in bibliotheca Bodleiana [a], cujus principium, unde etiam patet illum non obiisse an. MCCCCLXVI. huc adscripsi: "In nomine Domini Amen "a salutifera nativ. Jesu Christi MCCCCLXVIII. "&c.—Cumque praefatus reverendiss. dominus "post dictam factam donationem per multos "annos supervixerit, et hodie supervivat, &c." Refert tamen et Sabellicus [b] ipse, eum bibliothecae Venetae voluminum partem non parvam ex testamento intulisse. Nempe alia postea volumina testamento suo moriens adjecit. Bibliothecae autem illius sic Venetis donatae praefectus primus constitutus est Sabellicus, utrum a senatu ad id munus electus, an ab ipso Bessarione, quod vulgaris fert opinio, mihi non satis constat. A nonnullis dicitur Sabellicum Roma lauto stipendio accitum bibliothecae praefecisse. Catalogum illius bibliothecae, quam reipublicae Venetae dono dedit, vulgavit Jacobus Philippus Thomasinus. Bibliothecae inscriptio:

[a] Arch. A. Bodl. 172. [b] Decad. 1. hist. Ven. l. 2.

Bessarionis cardinalis ex legato senatus jussu procuratorum D. Marci cura Philippi Truno, Anton. Capello, And. Leono, Victor. Grimano, Joan. a Legeeq. bibliotheca instructa et erecta M. Ant. Trivisano principe an. ab U. C. m...xxxiii.

Oſtentant hodierni Veneti lignum crucis, ſervatoris Chriſti tunicam, aliaſque reliquias, quas dicunt a Beſſarione ſibi donatas; hac inſcriptione in Albergo, ut vocant, poſita:

" Si quando fratres oculos huc adjeceritis, " Beſſarionis cardinalis memoriam pie colere ne " gravemini; qui majorum veſtrorum in ſe " animum atque obſervantiam grate reputans, " ligno crucis ſanctiſſimo, Servatoris Chriſti " tunica, multiſque praeterea religioſiſſimis ac " pretioſiſſimis muneribus ſeipſum privans, iis " ſacrarium veſtrum, et vetuſtate et ſanctimo- " nia apud omnes clarum, vivens perpetuo do- " navit."

Inter inſcriptiones, quibus in honorem virorum quorundam eruditorum bibliothecam ſuam ornavit Fridericus Monfeltrius Urbini dux an. mccccLxxvi. haec habebatur:

BESSARIONI
Graeci Latinique conventus pacificatori, ob summam gravitatem doctrinaeque excellentiam Fed. amico sapientiss. optimoque posuit.

Quod

Quod illius amanuenſis fuerat Julianus Volaterranus, archiepiſcopus Raguſinus, memoratur in hujus laudem ſepulchri inſcriptione, ubi dicitur philoſophus theologuſque clariſſimus, Berſarini (ſic legitur apud Ughellum [c]) cardinali Niceno ſtudiorum adjutor.

A Jacobo cardinali Papienſi, cujus extant ad eum epiſtolae complures, elogiis his egregiis extollitur: Comment. lib. 2. ſummi ingenii, ſummaeque eloquentiae vir dicitur.

Epiſt. XXIII. " Beſſario, ut eſt modeſtia ſin-" gulari, ſummaque virtute." Ep. CXXXII. quae ad ipſum eſt: " Timui nonnihil, ne Ba-" ſiliana illa tua ſeveritate, qua frangere ali-" quando noſtras ineptias ſoles —— Tantum " amoris ad amorem priſtinum addo, quantum " rei cumulatae addi jam poteſt. Vultus tuus " habitaculum erit oculorum meorum. Te " colam, te obſervabo.——Hortaris ad ſtu-" dium ſapientiae (divinae) afferens orationis " pondus inde eſſe quaerendum," &c. Epiſtola CCCCXVI. obſervantiae in illum maximae officiique plena eſt. Epiſtola CXXVII. ad cardinalem Senenſem ſcripta an. MCCCCLXV. tota eſt in illius laudes, ſed adhuc viventis: " Nun-" quam hunc collegam noſtrum intueor, ut " ſuſpirans non precer Deum, quam diutiſſime " annos ejus proferat. Nicenum dico cardi-" nalem Tuſculanum communem tibi ac mihi " patrem. Orationis meae cauſa eſt, non tam " amor, quo eum proſequor, quam publica uti-" litas, ad quam video illum ſemper intentum:

[c] Ital. ſac. to. 2,

Collegii

" Collegii quoque noſtri dignitas, cujus aeſti-
" matio ſtat hujus praeſentia. Miſera erit dies
" illa et lachrymabilis multum, quae nobis il-
" lum eripiet. Jacturam grandiorem facere
" ſors noſtra non poterit. Perdemus firmum
" praeſidium, et lumen pene omne: quo ali-
" quid nunc forſan lucemus. Quid eo excel-
" lentius? quid ad omnes caſus ſtabilius. Quan-
" tum ingenio valet, quotidie contemplaris.
" Non videtur, quod non videt ipſe: nec ſen-
" titur bene, quod ejus non probat judicium.
" Propoſitis in medium rebus, de quibus eſt
" habendum conſilium; primus in ordine ſen-
" tentiam dicit; ſpatium tantiſper ad cogitan-
" dum habens, dum de iis refertur: et tam ſu-
" bito ita exprimit, quicquid in cauſa optimum
" eſt, ut nihil ſequentibus ad dicendum relin-
" quat. Ut plurimum iri vides in ejus ſen-
" tentiam; probari, quod probat, et damnari,
" quod damnat. Audis quoque qua facundia
" conceptus explicet ſuos. Non ſubſiſtit ali-
" cubi, non haeſitat, non obliviſcitur. Conti-
" nuatio orationis eadem eſt uſque in finem,
" aperta ſemper, et facilis, et delectans. Nul-
" lae inſunt implicationes rerum, neque ob-
" ſcuritates, quas ſentimus aliquando in pleriſ-
" que. Melius ego ex ipſo conſulente, quod
" eſt propoſitum, capio, quam ceperim ex eo,
" qui ante propoſuit. Audirem diem totam
" ſine faſtidio hunc in conſiſtorio loquentem:
" ita ſemper habet, et ſemper texit, quod ani-
" mum juvet. Taceo verborum ornatum, vim-
" que quam dictioni adjicit. Bonis imbuto, nil
" niſi lectum, et ſignificans, et proprium ad

" linguam fuccurrit. Si ex propofito effe ma-
" lus vellet, nefcio an id poffet: tanta eft jam
" exercitatione loquendi confirmata facultas.
" Praeclara haec funt, et inter noftros rara.
" Sed illud quantum eft, quod femper medi-
" tatur aliquid, et proponit pontifici quod ad
" communem rem, vel Chriftianorum, vel ec-
" clefiae faciat. Nullis capitur aliis ftudiis.
" Non vagatur, non ociatur, nec abire tempus
" per inertiam finit. Salutaria funt omni tem-
" pore quae operatur. Vides de noftris effe,
" qui frequenter in agris fint, confectentur cre-
" bro prata, et fontes, et indulgeant venatui,
" et, cum domi funt, conviviis, et confabula-
" tionibus dies ducant inutiles. Huic patri ni-
" hil eft horum," &c. Subdit illum caeteros omnes Graecos, qui fynodo Florentinae aderant, ingenio fuperaffe. Edidiciffe primum fummo defiderio literas Latinas, tantamque in his brevi tempore loquendi et fcribendi affecutum fuiffe facultatem, ut inter doctiffimos haberetur Latini nominis. De illius facundia haec habet in epift. alia: " [d] Spectare his oculis, et audire his au-
" ribus, videor vultum vocemque dicentis, la-
" mentantis indignitatem facti, deplorantis com-
" munem fortem fenatus, invadentis quoque
" in fummam arcem defenfionis amici. Scio
" quantus in clypeum affurgas. Niceno meo
" nihil valentius, cum pugnat ex animo, et
" cum dolet ei quod loquitur." De integritate ejus alibi: " [e] Si mittitur in Galliam Nicenus,
" quis hic reliquus erit? Si non mittitur, quis

[d] 188. [e] Ep. 431.

"alter mittetur?——Duo imprimis non consulo; quis enim id tanto patri audeat? sed fideliter memoro. Primum, ut pontificem nostrum in via recta contineas: alterum, ut ambitioni eorum resistas, qui dissipari rem ecclesiae vel quaerant, vel optent." Denique obitum ejus his verbis deplorat, ad Campanum: "[f] Voco te, Campane frater, ad lamenta et lacrymas. Mortuus Nicenus noster est, vir sine controversia magnus: cujus doctrina ingens erat, ingenium singulare, admirabilis eloquentia: studium autem ad publica non modo continuum, sed supra aetatis ac valetudinis sortem etiam pertinax. Nil habuit Romana sedes quo gloriari amplius posset; nihil quod ad suum ministerium efficacius inveniret. Videbat prudenter, explicate monstrabat, sine intermissione operabatur, alienae etiam segnitiei reprehensor semper erat, ac castigator. Ad hunc referebantur nostra consilia, ad hunc legationes undecunque nos adeuntes. Sine Niceno nec operum initia erant, nec exitus. Omitto religionem, pietatem, munificentiam, animi magnitudinem: qui nil humile, nil quod non dignitati conjunctum esset, poterat cogitare. ——Tanta, quod exploratum mihi est, constantia spiritum Domino reddidit, ut sanctissimae vitae sanctissimus quoque inventus sit exitus.——Virtute anteivit quicquid in ecclesia praeclarum fuit—Seculis quidem multis alterum Nicenum habituri non sumus. Tum

[f] Ep. 498.

" autem nofter ordo relictus in tenebris eft. " Luce fua [illius] illuftrabantur obfcura, et " multorum infcitiam unius fapientia tolerabat."

His laudibus a Papienfi perornatur. Eft tamen ubi ab eodem culpatur, quod Sixto pontifici contra juramentum fuum cardinales plures creare volenti affenfum et fuffragium praebuerit, nempe ut ipfe legationis in Galliam honorem a pontifice obtineret [g]: quod facinus ejus arbitratur Papienfis fuiffe caufae, quod res ei felicius non fucceſſerit. " Viden' ut exitus non " boni funt ambitiofis legationibus? Ut etiam " Deus noftrae vanitatis nos faepe admoneat! " — Quid in Niceni et vicecancellarii lega- " tione judicio Dei expreffius? Ille ut in Gal- " liam proficifceretur ad legationem quaeftus " et nominis plenam, cum antea magnus fem- " per fuiffet, nullus ex eo tempore fuit. Ven- " didit libertatem fententiae, fervire alienae " cupiditati coactus eft. Pontifici non affenfit " modo in quibus voluit, fed adjutor etiam " fuit, ut juramenta violarentur, et vota die " electionis fuae Deo oblata; ut crearentur " quoque indigni cardinales magna bonorum " moeftitia, et gravi omnium de nobis que- " rela."

Ferunt alii, illum in iftam legationem miffum fuiffe, ne pontifici gubernandi ratione nova ufuro officeret ejus praefentia. Sic fcribit Jovius: " Cum honore legationis in Galliam fu- " iffe relegatum, quod Xyftus nova licentia " potificatum nomine principatus gerendum

[g] Epift. 544.

" ratus,

" ratus, libere, et graviter, religioſeque ſen-
" tentias dicentis vultum non perferret." Atque id in cauſa fuiſſe, quod non modo Beſſarion, ſed et alii quoque cardinales melioris notae, in legationes eo tempore deſignarentur, ſubindicat Joannes Petrus Arrivabenus [h] epiſtola ad Papienſem data Romae xx. Januarii MCCCCLXXII.
" Expedit fidei, expedit honori et ſaluti eccle-
" ſiae, ut legati decernantur.—Sed quid agi-
" tur? Perquiruntur idonei. Hactenus placet
" tam accurata diligentia. Sed quorſum eva-
" dimus? In conflictum res adducitur. Non
" tam qui utiles, quam qui aut Catoniani aut
" Phocioniani ſunt, deliguntur, ne aliquando in
" theatrum Cato ſeverus veniat. Vide quid in
" his electionibus expendatur. Ille nimis acer
" caſtigatorque malorum. Ille contumax nobis
" fuit. Non aſſentietur ille praecipitio et fo-
" veae, quam paramus. Cauſas agit ille bo-
" norum. Non arridet, non blanditur, non
" minimum gerit. Utiles erunt reipublicae, ſed
" foris ſint. Sub nomine legationis relegati
" ſint, etc.——Sentio tamen incertam eſſe Ni-
" ceni profectionem, ſive is tergiverſetur, ſive
" ex Sibyllinis libris novum conſilium erutum
" ſit."

Cum Paulus II. crearetur pontifex, et quaſdam leges, quibus obſervandis ſe jurejurando obſtrinxerat, irritas fieri voluit, inter quas una erat de cardinalibus non ante creandis, quam ii qui creati jam haberentur, intra XXIV. eſſent reducti, deque eo numero non excedendo; Nicenum cardinalem, primae ſententiae patrem,

[h] Inter epiſtolas Papienſis, num. 425.

fatigatum diu intra cubiculum, moxque insuperatum egredientem manu intus retraxit, foribusque occlusis eo angustiarum adduxit, ut anathema illum pronunciaret, si non statim subscriberet. Cujusmodi molestiarum machinis debilitati cum ille tum caeteri patres tandem cesserunt, atque ad unum omnes non sine gemitu subscripsere [i].

Philelphi ad illum epistolae non paucae extant. Quarum una scripta an. MCCCCLVIII. "Facile (inquit) futurum spero, ut tua praesentia, perinde atque divino afflatu quodam, vel adjutus vel excitatus aliquid audeam quod vulgo non liceat." In alia: "Sum illa tua dicendi elegantia atque majestate ita delectatus, ut ipse mihi afflatus aliquis pro voluptatis magnitudine in lectitanda epistola viderer." &c. Ad eum carmina quaedam sua scripsit idem Philelphus.

Reipublicae Senensis ad eum epistola habetur inter opera Augustini Dathi [k], civitatis istius secretarii, de recipiendis juxta illius hortatum post Constantinopolitanam cladem, in ipsorum ditionem Graecis: ubi appellatur "magnum non modo Graeciae, sed et ecclesiae quoque, lumen Bessarion."

Ad eum dum Bononiae legatus fuit, scripsit Matthaeus Bossus Veronensis orationem de mulierum habitu: qua meminit legis ea de re nuper Bononiae ab ipso latae. Eum vero appellat religiosorum decus et gloriam.

[i] Papiensis com. l. 2. [k] Epist. l. 3.

Blondus

Blondus Flavius in Italia illuſtrata: " Urbs " Tuſculana non aliam habet aliquam priſtinae " felicitatis et gloriae partem, praeterquam " quod eam titulo epiſcopatus gubernat vir ſum- " mus Graece Latineque eruditiſſimus, et ſum- " ma praeditus cum bonitate, tum etiam hu- " manitate, Beſſarion, Graecorum cardinalis Ni- " cenus, Bononiae nunc et exarchatus Raven- " natis apoſtolicae ſedis legatus."

Ab Aenea Sylvio[1], cardinali, poſtea pontifice, nuncupatur " Vir prudentia ſingulari, et Latina " ſuaque lingua peritiſſimus." Eundem cum pontifex eſſet, " ex patribus maxime amaviſſe " et complexum fuiſſe Beſſarionem, aetatis ſuae " doctiſſimum, eumque orare aliquando ſe- " cundum ſe juſſiſſe, et legationem Germani- " cam ei commiſiſſe cum ſumma poteſtate," teſtatur Campanus in Pii vita.

Laur. Valla in Pogium antid. lib. IV. " Car- " dinalis Nicenus, vir de me optime meritus, " et qui ut Romam venirem mihi autor ex- " titit."

Joanni Gobellino in comment. Pii II. lib. VIII. dicitur utriuſque linguae peritiſſimus, virque magni nominis. Ibi refert illum a Pio pontifice Narniam miſſum fuiſſe ad caput S. Andreae magna cum ſolemnitate Romam afferendum. In libro III. de orationibus quas de bello contra Turcas movendo in conventu Mantuano habuere primo Pius, deinde Beſſarion, verba faciens, ait, hujus " orationem laudatam " fuiſſe, etſi Graecam facundiam quantum La- " tina praeiret oſtenderit."

[1] Coſmog. Europae, c. 53.

Divinum ejus ingenium multiplicemque doctrinam depraedicat Bartholomaeus Abrahamus Cretensis, praesul Ariensis, epistola ad Benedictum Accoltum archiepiscopum Ravennatem.

A Platina in vita Pauli II. vocatur vir praestantis ingenii et singularis literaturae.

Ab Andrea de sancta cruce in exordio actorum concilii Florentini, dicitur tum fuisse "aetate juvenis, sed doctrina et gravitate venerabilis."

Raphael [m] Volaterranus: "His Latinis Graecorum manus adjicienda, qui seculum nostrum clarius reddidere. Quorum princeps Bessario.———Cujus domus officina liberalium artium fuit donec vixit: doctissimos semper viros aluit atque fovit, Theodorum, Andronicum, Domitium, Cattum, Sipontinum. Ipse vero semper in literis versabatur. Ad philosophiae theologiaeque scientiam, eloquentiae studia, maximum quidem ornamentum adjecerat. Platonem in primis observabat.——Senatus ac patriae linguae columen fuit," etc.

Jacobus Philippus Bergomensis ad an. MCCCCLXIII. ait eum fuisse "virum undecunque doctum, philosophum in primis et oratorem disertissimum, atque utraque lingua scientissimum: quaedam praeclara sui ingenii monumenta edidisse, quibus suum nomen ad posteros transmiserit maxima cum gloria," etc.

Paulus Jovius: In concilio Florentino "Bessarionis Niceni mirifica virtus senatorii ordinis

[m] Anthrop. lib. 21.

"orna-

" ornamenta promeruit. Datum eſt enim ho-
" nori totius Graeciae ab antiqua pertinacia
" diſcedenti, ut duo ejus nominis, Iſidorus ſci-
" licet atque Beſſarion, in ſacra purpura con-
" ſpicerentur: ſed in Beſſarione virtutes omnes
" uſque adeo praecellenti temperamento con-
" centuque ad admirationem reſponderunt, ut
" nemo eo Chriſtiana probitate ſpectatior, ne-
" mo admirabilior doctrina, et nemo denique
" generoſis moribus ornatior atque ſplendidior,
" hoc ipſo a morte ejus ſexaginta annorum cur-
" riculo in ſenatu conſpectus ſit. Senatoriam
" enim gravitatem ore probo atque blandiſſimo
" condiebat, ac ipſam viri optimi famam, do-
" mi et foris, nitida ac hoſpitali diſciplina, et
" liberalis animi beneficentia tuebatur, quum
" ſubactae Turcarum armis et ideo concidentis
" Graeciae ingenia diu jactata mari et terris
" apud eum certiſſimum ſalutis portum inve-
" nirent, et qui in academia nomen darent,
" eodem patrono atque hoſpite uterentur [n]," etc.

Laonicus Chalcocondyles hiſt. libro VI. *περὶ μὲν οὖν Βησσαρίωνος τοσόνδε ἐπιστάμενος μνήμην ποιήσομαι· ὡς ξυνέσει τε τὴν ἀπὸ φύσεως, πολλῶν δὴ, τῶν ἐς τοῦτο εὐδοκιμούντων, Ἑλλήνων, μακρῷ γενόμενος, καὶ κρίνειν τε ἐφ' ὅτι ἂν γένοιτο, κράτιστος δοκῶν γενέσθαι, τὰ δὲ, ἐς σοφίαν, τὴν Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων, οὐδὲν δεύτερος*, &c. *De Beſſarione quae*

[n] V. Aug. Dathium f. 169. b.
Floridum Sabinum c. calum. L. Lat. p. 110.
Ant. Sanderus elog. card.
Matt. Boſſi opera, p. 156. 193. 327. ei dicat libellum de mulierum habitu.
Barrius de antiq. Calabriae, p. 194.

accepi diligenter annotabo. Tanto erat instructus a natura intellectu, ut praestantissimos Graecorum non dico aequaret, verum superaret: judicio in re qualibet plurimum pollebat. Graecarum Latinarumque literarum tanta peritia ei inerat, ut facile eruditionis palmam inter omnes caperet, etc.

Campanus, cujus fautor in primis fuit:

Nonne vides, quantus mihi sit Deus alter, et omni
Tempore, cumque suo pariter victurus Homero
Bessario, cujus sub pectore totus Apollo est.
Quem tulit ut fieret priscis celebratior aetas
Nostra, nec a magno vincamur, ut ante, Platone.

Elogia vide plura in ejusdem Campani epistolis.

Majoranus Salentinus:

Vivens adhuc feci hoc sepulchrum corpori
Bessarion, ad Deum remittens spiritum.
Me docta genuit Graecia, at honores dedit
Urbs Roma, quae mihi perpetua est patria,

Janus Vitalis:

Non tibi sit laudi sanctum celebrasse Platonem,
Castaque Socraticae fraena pudicitiae;
Non quod virtutum exemplum, quod lumen honoris,
Quod sol extinctae relligionis eras:
Verum quod per te migravit Graecia Romam;
Et didicit Latios Attica musa sonos.

Per

Per te hinc Romanas miratur Tybris Athenas,
Argolicam et Romam Graecia, Beſſarion."

Latomus:

Damna quis amiſſae ſi neſciat Helladis, uno
Maxima metiri Beſſarione poteſt.
Qui ſi Romanas eſſet moderatus habenas,
Sortitus noſtrum poſt ſua fata Pium;
Secula vidiſſent ſummum par illa virorum,
Quale nec ulla prius hora vel ora tulit.

Reuſnerus:

Graecia me genuit, fovet Italiae ora, galero
Roma colit, vita ſum Numa, et arte Plato.

Gaſpar Cunradus:

Linguarum ſtudium ſophiaeque viriliter urſi:
Laus patriae mea laus, et tua, δῖε Plato.

SCRIPTA.

Quod ad ſcripta ejus ſpectat: e Graeco tranſtulit Ariſtotelis Metaphyſicorum libros XIV. et juxta nonnullos, Theophraſti quoque Metaphyſica, quod mihi tamen non conſtat: necnon libros IV. Xenophontis De dictis et factis Socratis. De quibus verſionibus hoc tulit judicium cl. Huetius: "Ingrati ſimus, ſi eos "recenſentes qui in hoc interpretandi artificio "floruere prae caeteris, per quos potiſſimum "in eo profecimus praetermittamus. Princi-"pem in his cum merito ſuo, tum ampliſſima "dignitate, locum tenet Beſſarion card. Nic.

"patriarcha Constantinopolitanus, cujus singularem in convertendis Graecis et plane admirabilem industriam si fuisset prosecuta posteritas, et pari interpretationum salubritate contenta ab infraeni licentia sese abstinuisset, non linguae Graecae ignaros homines tam saepe in errorem illiceret interpretum perfidia." Aristotelis Metaphysicorum interpres fidelis magis quam elegans aut jucundus dicitur [o] Budaeo. Tralationem autem istam ante Nicolai V. pontificatum Alphonsi R. rogatu aggressus est, eique, Nicolao jam pontifice, jamdudum absolutam nuncupavit. Vertit quoque Demosthenis orationem Pro ope Olynthiis ferenda.

Libros IV. in Platonis defensionem contra G. Trapezuntium edidit an. MCCCCXLVIII. paulo antequam crearetur episcopus Sabiensis, ut patet ex Marsilii Ficini epistola, qua ei gratias agit ob exemplar ad se missum, quae inscribitur "Bessarioni Graeco cardinali Sabino:" et ex ipsius ad Ficinum epistola, qua dicit se opus istud nuper editum mittere. Ea data est idibus Septembris MCCCCLXIX. quod error est vel librarii vel typographi. Ficinus in epistola sua de opere illo et de G. Trapezuntio haec habet; "Tantis utique radiis noctuae sive bubones quidam, ut videtur, offensi, sacrum illum Platonis nostri thesaurum non solum spernere, ut nonnulli quondam, sed, proh nefas! improbare coeperunt. Verum Bessarion academiae lumen, medelam confestim hebetibus

[o] Epist.

" et caligatis oculis adhibuit saluberrimam, ut
" aurum illud non solum mundum sit et
" splendidum, verum etiam tractabile manibus
" oculisque innoxium. Hoc vaticinatus Plato,
" fore tempus multa post secula, regi Dionysio
" inquit, quo theologiae mysteria exactissima
" discussione, velut igne aurum, purgarentur.
" Venerunt jam, venerunt secula illa, Bessarion,
" quibus et Platonis gaudeat numen, et nos
" omnis ejus familia summopere gratularemur."
Bessarionem fuisse Trapezuntio in philosophia majorem, in elocutione minorem, affirmat Sabellicus [o]. Id opus fuisse bis formis impressum, Romae scilicet & Venetiis, monet Joannes Franciscus Mirandula [p]. Venetiis bis prodiit MDIII. et MDXVI. Illud nunquam satis laudatum opus appellat Lucas Holstenius [q]. Errat Sanderus [r], cum ei ascribit, tanquam opera diversa, libros v. in philosophiae Platonicae laudem, et libros IV. in calumniatorem Platonis. Hujus operis libri duo priores Graece extant in bibliotheca Bavarica. In bibliotheca quoque ipsius Bessarionis Veneta servatur idem opus Graece, utrum integrum vero, an libri tantum iidem bini priores, mihi non compertum. Index MS. habet:
" Bessarion card. contra Platonis calumniato-
" rem Graece."

Correctio translationis librorum Platonis de legibus a G. Trapezuntio confectae pars est praedicti operis, eique tanquam liber quintus adjungitur. Possevinus monet eos, qui libros ejus pro

[o] De L. L. reparat. [p] Exam. doctr. van. gentil.
[q] Notis ad Porph. vitam Pythagorae. [r] Vitis card. VI. 1.

Platone

Platone legerint, praelegere debere quae Joannes Baptiſta Criſpus habet in libro De philoſophis caute legendis.

Scripſit quoque contra Trapezuntium, De natura et arte. Nempe quum Gemiſtus Platonis doctrinae perquam ſtudioſus, ſuper ea quaeſtione, An natura et ars conſulto agant, diſputaret, Beſſarion rogatus a Gaza ut ſententiam ſuam de iſto argumento diceret, ex ſcriptis Platonis brevi libello ad Gazam conſcripto reſpondit. Cui libello contradixit Trapezuntius. Et hoc tractatu Trapezuntio reſpondet Nicenus. Ei vero contradixit Trapezuntius, inimicus illi jam factus, quod Gazam in doctrina ipſi praetulerat. Ut vero cardinali parcere velle videretur, eumque honeſtius impeteret, finxit ſe ignorare quiſnam iſtius libelli autor eſſet, et Gazae, non Beſſarionis, fuiſſe diſputationem iſtam, quam impugnabat, ſimulavit. Tractatus hic Beſſarionis, quamvis editus ſit multis annis ante opus praedictum adverſus calumniatorem Platonis, iſti tamen ab ipſo auctore poſtea adjectus eſt tanquam liber ſextus.

Oratio dogmatica, ſive de unione, ad ſynodum orientalem, in concilio Florentino habita paulo ante unionem an. MCCCCXXXIX. ab ipſo Latine verſa, edita eſt ad finem actorum concilii Florentini. Laudatur a Joſepho Methonenſi libro in Marcum Epheſium.

Oratio alia de unione ineunda, ſeſſione I. ſynodi Ferrarienſis habita, extat in eiſdem actis, Gr. Lat.

Tractatus epiſtolaris ad (non, adverſus, quod eſt apud Sanderum) Alexium Laſcarin Philanthropenum,

thropenum, Antidotus inſcriptus, de ſucceſſu ſynodi Florentinae et proceſſione Spiritus S.

Epiſtola exhortatoria generalis ad omnes qui ſedi Conſtantinopolitanae ſubſunt, praeſules, hieromonachos, ſacerdotes, et ſeculares, de praeſtanda obedientia eccleſiae Romanae, ſive de primatu Petri, deque ſuſceptione ſynodi Florentinae, et de electione ſua in patriarcham Conſtantinopolitanum, data Viterbii XXVII. Maii MCCCCLXIII. In qua eadem fere leguntur quae apud Gennadium, interdum eiſdem verbis ex eo deflorata. Condidiſſe illum nonnulla de primatu papae, luce ac ſole digniſſima, ſed longo intervallo ab eloquentia Gennadii abfuiſſe, ait Fabius Benevolentius. Has duas epiſtolas Graece, cum duplici interpretatione, altera ſua, altera ipſiuſmet Beſſarionis, edidit, adjectis etiam notis, Arcudius in opuſculis theologicis Romae MDCXXX. Utraque vero antea edita fuerat: prior Latine ex ipſius verſione ab Abrahamo Cretenſi una cum concilio Florentino Romae MDXXVI. poſterior Romae Graece tantum MDCXXVIII. MS. ſervatur in cod. Baroc. 145.

Apologia pro Vecco, ſive confutatio confutationum Palamae. Ibidem edidit Arcudius Gr. Lat.

Reſponſio ad quatuor argumenta Maximi Planudae de proceſſione Spiritus S. ex ſolo Patre. Ibid. Gr. Lat.

Liber de ſacramento euchariſtiae, et quibus verbis corpus Chriſti conficiatur, contra Marcum Epheſium. Extat Latine inter SS. patrum liturgias Pariſ. et Antverpi MDLX. atque etiam in bibliotheca magna veterum patrum Pariſienſi

tomo

tomo 6. Exemplar Graecum, a Latino aliquantum discrepans, servatur MS. in bibl. Vindobonensi; extat quoque in cod. Baroc. 90. et in bibl. Collegii Novi Oxon.

Graecorum confessio de verbis consecrationis et transubstantiatione, a Bessarione exposita in concilio Florentino, e cod. Florentino vulgata est a Mabillonio Musei Italici tomi 2. parte altera, quem codicem autographum clarissimus editor appellat. De ista tamen confessione, ne sit suppositiția, valde dubito. Vide caput proxime sequens in Nicolao Secundino.

Oratio ad Bessarionem abbatem S. Severini Neapoli, de Christianorum clade in Chalcide Euboeia.

Oratio ad proceres Italiae, de periculis a Turca post expugnatum Hydruntum Italiae imminentibus avertendis.

Oratio de discordiis sedandis et bello in Turcam decernendo. Has tres orationes ipse simul edidit annis XVIII. post Constantinopolim expugnatam, praemissa epistola ad Italiae principes, et subjuncta Demosthenis oratione De proferenda ope Olynthiis adversus Philippum regem Macedonum, a se Latine conversa, tanquam exhortatione ex Demosthenis auctoritate. Prodierunt haec simul cum alibi tum in volumine secundo orationum Turcicarum, ed. MDCIII.

Epistola ad paedagogum filiorum Thomae Palaeologi, Anconae commorantium, lingua Graecobarbara scripta an. MCCCCLXV. qua de eorum moribus instituendis prudenter diceret. Graece edidit Jacobus Pontanus in notis ad Phranzae historiam MDCIV. Graece et Latine cum notis

Joannes

Joannes Meursius ad finem Hesychii Milesii MDCXIII.

Monodia in obitum Manuelis Palaeologi imperatoris Latini apud Bzovium ad an. MCCCCLXXII. §. 56.

Epistolam ejus ad Venetos, et aliam ad Ficinum, jam supra commemoravimus. Epistola ad Jacobum cardinalem Papiensem habetur inter hujus epistolas num. 35. Epistolam Graecam ad Demetrium et Andronicum Gemisti Plethonis filios, in laudem patris jam defuncti, edidit Allatius De eccl. occid. et orient. perpetua consensione lib. 3. c. 3. et in Diatriba de Georgiis, ubi adjiciuntur distichon ejus et tetrastichon in eundem Gemistum, incultum utrumque, vel, ut inquit Allatius, barbarum, nullo syllabarum metro, nullo numero confectum. Ab eodem Allatio de consensu III. 4. 5. sunt editi Iambi sepulchrales, ab eo, dum adhuc Hieromonachus esset, compositi in Theodoram uxorem Constantini Palaeologi imperatoris ultimi, ut ea ferebant tempora, non inelegantes. Atqui errat Allatius. Iambi enim isti non fuere Bessarionis nostri, qui ante Constantini Imperatoris tempora Hieromonachus esse desiit, sed alterius Bessarionis antedicti abbatis Neapolitani.

SCRIPTA INEDITA.

SS. patrum sententiarum, quae de processione Spiritus Sancti etiam ex Filio asserebant, collectio. Meminit ipse in epistola ad Alexium Lascarin.

Epistola alia de processione Spiritus Sancti ad Lascarin: cujus ipse ibidem mentionem facit.

Apologia

Apologia pro Latinis De processione Spiritus Sancti, sive refutatio capitum Marci Ephesii contra Latinos, incepta primo a Gennadio, ut dicitur, et post ejus mortem, rogatu Gregorii patriarchae Constantinopolitani, a Bessarione perfecta. Extat in bibliotheca Vaticana, Viennensi, etc.

Professio fidei Christianae in synodo Florentina prolata, et in articulos XXI. divisa; in bibl. Viennensi. In indice Nesseliano de synodo Florentina nulla fit mentio, sed dicitur tantum, " Professio fidei Christianae contra omnes hae- " reses, in articulos XXI. divisa." Principium: Α΄, πιστεύομεν, ὅτι ἐστὶ Θεὸς δημιουργὸς πάντων ὅσα εἰσίν. Β΄, ὅτι ὁ Θεὸς, οὔτε σῶμά ἐστιν, οὔτε σῶμα ἔχει, ἀλλὰ etc.

In indice Possevinano codicum MSS. bibliothecae Viennensis, occurrunt, inter alia, erudita Trinitatis explicatio, cum methodo cognoscendi quot horis singulis (noctibus) luna fulgeat. Eademque recensentur inter Bessarionis scripta a Joanne Jacobo Frisio in additamentis bibliothecae Gesnerianae. Trinitatis explicationem existimo fuisse unum ex antedictis tractatibus de processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque. De methodo ista, utrum ejus fuerit, valde ambigo. Neque in indice istius bibliothecae Lambeciano, aut in Nesseliano, Bessarioni haec ascribuntur.

Responsio pro Aristotele ad Gemisti Plethonis objectiones de substantia, servatur in bibliotheca Munachiensi.

Epistola ad Gemistum de IV. quaestionibus philosophiae Platonicae; cum duplici Plethonis responsione in bibliotheca Bodleiana Ae. E. 2.16. necnon

necnon in Viennensi. Βησαρίων καρδινάλις τῷ σοφωτάτῳ κ̀ διδασκάλῳ Γεωργίῳ τῷ Γεμιςῷ εὖ πράττειν. Gemisti prima; Γεμιςὸς τῷ Βησαρίωνι· altera, Γεώργιος ὁ Γεμιςὸς τῷ αἰδεσιμωτάτῳ καρδηνάλει Βησαρίωνι. Eandem esse existimo Responsionem pro Aristotele ad Gemisti Plethonis objectiones de substantia, quae servatur in bibl. Munachiensi. Nec forte diversae sunt physicae demonstrationes de Deo ad Gemistum, quae cum epistolis eorum mutuis servantur in bibliotheca Vaticana atque Parisina. Extare vero epistolas plurimas ab eo ad Gemistum scriptas testatur Raphael Volaterranus.

Epistolas pene innumerabiles eum reliquisse testatur Philippus Bergomensis. Epistolae quaedam ejus, de quo argumento incertum, dicuntur extare Graece Viennae in cod. philos. ccxlv. eaedem, ni fallor, cum praefatis ad Gemistum.

Epistolae quaedam ejus ac sermones asservantur in bibl. Scorialensi.

Epistola ad Andronicum Callistum philosophum habetur in bibliotheca regia Parisina.

Ad Michaelem Apostolium epistola servatur in codice Baroc. cxiv. Βησαρίων Τραπηζούντιος Νικαίας κ̀ καρδηνάλιος Μιχαὴλ τῷ Αποςόλῃ. Principium: Αφίκετο ὡς ἡμᾶς. Eadem olim extabat in bibl. Heidelbergensi, quae partem nunc constituit Vaticanae. Et in codice quodam Vindobonensi, ubi inscribebatur: Επιςολὴ συμβουλευτικὴ πρὸς Μιχαὴλ τὸν Αποςόλην. In alio volumine Heidelbergensi habentur Apostolii epistolae aliquot ad Bessarionem, et προσφωνία ad eundem, cum Bessarionis responsione ad Apostolium pro Theodoro Gaza, viz. contra Apostolii apologiam pro

pro Plethone adversus Gazae reprehensiones. Totum hoc volumen ipsius Apostolii manu exaratum. Prorsus eadem, ni fallor, habentur in praedicto cod. Baroc. fol. 146. &c.

Epistola ad Theodorum Gazam de G. Trapezuntii libro contra Platonem, habetur in bibliotheca Viennensi atque Munachiensi.

Laudationes duae patriae suae Trapezuntis et Isthmi, et consolationes tres ad imperatorem Graecorum [Joannem] de uxoris [Cleopatrae] obitu, commemorantur a Bergomensi, Trithemio, et, monente Simlero, in oratione quam de obitu ejus habuit quidam non nominatus auctor. Extant consolationes ad imperatorem, una cum Gemisti et anonymi cujusdam de eodem argumento orationibus, in cod. Parisino 2209. Explicatio illius loci; "Si eum volo manere" etc. scilicet de S. Joannis evang. obitu, contra G. Trapezuntii commentariolum ad Sixtum IV. scriptum, servatur Venetiis in ipsius bibliotheca.

De errore paschatis ad Paulum II. Ibidem.

Annotationes et collectiones ex diversis. Ibidem.

Poetis accensetur a L. Gyraldo ob carmina quorundam veterum Latine in operibus versa. "Bessarion una cum Theodoro [Gaza] non "minus Graeca quam Latina lingua insignis "fuit, quorum licet peculiaria poemata mihi "legere non contigerit, in eorum tamen libris "pleraque inveni carmina, vel ab eis composita, "vel ex aliis conversa."

Is primus e situ pulvereo Quintum Smyrnaeum, longo tempore cunctis ignotum, in lucem

cem protulit, ut legimus in Graeca Grammatica Constantini Lascaris.

Ad Bessarionem epistola Graeca Georgii Amuruthae servatur in cod. reg. Paris. CCXCV. Erat iste G. Amurutzes philosophus medicusque infamis, qui post Constantinopolim captam factus est Mahumedanus. In indice quodam bibliothecae illius regiae manuscripto legimus: "Epi-" stolae Georgii Amarutzae ad Bessarionem."

Ad Bessarionem scripsit librum nondum editum De divinis personis Bartholomaeus Rambertinus Coronensis episcopus; et librum similiter ineditum De machinis bellicis Sophianus; Introductorium quoque in calendarium Lazarinus, quod opusculum servatur in ipsius bibliotheca Veneta. Ei quoque dicatus est incerti cujusdam libellus De remediis afflictae ecclesiae militantis adversus extrinsecas Turcarum expositiones, etc. qui latet Patavii in bibliotheca S. Joannis in Viridario.

Quid ipsemet de sua in literis Latinis peritia senserit, aperte docet in epistola ad Lascarin: "Nostris impossibile est aliquid aequali gratia "atque Latini in lingua Latina scribere, quan-" tumcumque vel Graeci in Latina, vel Latini "in Graeca lingua profecerint. Cujus rei tum "ego tum alii de nostris digni sumus testes, qui "Latinam utcumque mediocriter intelligimus "linguam, nil tamen, quod ornatum Latine-" que compositum sit, scribere possum."

CAP. VI.

De ISIDORO CARDINALE RUTHENO, ET NICOLAO SECUNDINO.

DE Isidoro, Russorum sive Ruthenorum metropolita, Kioviensi archiepiscopo, et magno primicerio, qui una cum Bessarione, sed prior ordine, ob rem ecclesiae Romanae in synodo Florentina bene navatam, purpuratorum patrum albo ascriptus est, titulo SS. Petri et Marcellini, cardinalis Ruthenus vulgo nominatus; et cui in titulari patriarchatus Constantinopolitani honore Bessarion successit; de eo, inquam, prolixe differere, non est nostri instituti; siquidem inter instauratores linguae Graecae aut literarum humaniorum a nemine unquam annumeratus est, neque scriptum ullum (quod ego equidem resciverim) reliquit, praeter epistolam lugubrem de capta a Turcis Constantinopoli, cujus cladi ipse interfuit; quae epistola habetur inter epistolas Turcicas a Reusnero editas lib. IV. Hic tantum lectorem monitum velim falli eos, qui scribunt illum fuisse natu Constantinopolitanum, exinde deceptos, quod ibi, cum esset ordinis S. Basilii monachus, abbatiam S. Demetrii rexerat: necnon eos errare, qui natu fuisse Thessalonicensem credunt. Fuisse Graecum ex Peloponneso, fidem facit certissimam Jo. Gobellinus, ejusdem aevi scriptor, in

in commentariis Pii P. II. libro VIII. nec dubium videtur, quin aeque ac Beſſarione Gemiſti Plethonis ſchola Peloponneſia prodierit. Epiſcopus demum Sabinenſis, ac cardinalium collegii decanus conſtitutus, obiit apoplexia Romae MCCCCLXIV. De eo qui plura volet, adeat ſupplementum hiſtoriae literariae ſcriptorum eccleſiaſticorum Gul. Cavei. Videat etiam, ſi lubet, inter alios, Laonici Chalcocondylae De rebus Turcicis librum ſextum, Gobellinum modo citatum, Pium II. in Europae coſmographia c. 3. Hiſtorias ſynodi Florentinae, et Ughelli Italiam ſacram tomo I. p. 208. et tomo II. p. 496. Extat ad illum Franc. Philelphi epiſtola quaedam. A Petro Juſtiniano in hiſtoria Veneta lib. VII. viri doctiſſimi elogio exornatur.

Nicolaus Secundinus, Graecorum ac Latinorum in ſynodo Florentina communis interpres, literarum politiorum inſtauratoribus jure connumerandus eſt, cum e Graeco nonnulla Latine convertit. Plutarchi liber, De civilibus praeceptis, ex illius verſione cum reliquis Plutarchi operibus Latinis habetur. In cod. 223. bibliothecae Norfolcianae, ſive regiae ſocietatis London. extat " Onoſander ad Q. Veran-" nium" [Urannium] " de opt. imperatore e-" juſque officio per Nicolaum Saguntinum e " Graeco in Lat. traductus, ſcript. Paduae VII. " Maii MCCCCLXIX." Servatur [a] eadem traductio Romae in bibliotheca cardinalis Aſcanii Columnae inter libros cardinalis Sirleti. Ubi

[a] Extat eadem impreſſa Baſ. MDXLI.

etiam habentur illius ad diversos epistolae. Reliquisse eum epistolas Graecas monet Jacobus Philippus Bergomensis. Extatque MS. illius ad Andronicum epistola Graeca, De Michaelis Apostolii adversus Theod. Gazam libello, Viterbii scripta MCCCCLXII. de qua jam supra in Theodoro Gaza mentionem faciebam. Andronici ad eum de eodem argumento epistola in bibliotheca asservatur Augustana. Juliani Caesarini cardinalis dissertatiuncula de ista quaestione, utrum liceat symbolo fidei aliquid addere, in synodo Florentina prolata, e Latino in Graecum ab eo conversa servatur in bibliotheca Vindobonensi cod. theol. 190. Scripsit praeterea, ad Aeneam Sylvium, postea Pium II. creatum, Genealogiam Turcarum, sive De origine ac rebus gestis Turcarum, quod opusculum prodiit Bas. MDLVI. Istius meminit Jovius in Calepini imperatoris Turcici vita. Idemque designat ipse Pius in Europae descriptione c. IV. « Ex hac gente, quemadmodum Nicolaus Sagundinus, vir Graecae ac Latinae historiae « peritissimus, ad nos scripsit," &c. Ab eodem ibidem cap. LIV. laudatur auctor his verbis: « Post multas ac diversas" [in concilio Florentino] « disputationes, in quibus tanquam « interpres Nicolaus Saguntinus utraque lingua « disertissimus illustre nomen adeptus est," etc.

Reliquit quoque (ni fallor) Gubernaculum conciliorum, quod habetur Florentiae in bibliotheca B. Mariae de Annunciata, quae Servitarum est domus. Eundem enim existimo fuisse, qui inibi nominatur Nicolaus praedicator Hispanus. De quo sic scribit Mabillonius musei Italici

lici tomo I. "Inde multa (inquit) excerpsi-
"mus ex quodam libro, cui titulus est, Gu-
"bernaculum conciliorum, ad Julianum de
"Caesarinis, tit. Sancti angeli cardinalem, scripto
"tempore concilii Basileensis a quodam Nicolao
"praedicatore Hispano, disciplinae ecclesiasticae
"studiosissimo, qui et ipse concilio Constan-
"tiensi interfuerat."

Erat quippe Nicolaus genere Hispanus, natu vero Graecus, adeoque Graece pariter ac Latine doctus: oriundus nimirum ex Sagunto Hispaniae oppido, unde varie, juxta varias loci appellationes, cognominatus, Saguntinus, Segundinus, Sagondinus, Secundinus, Sagodinus, et Sagudineus. Falluntur, qui illum episcopum Saguntinum vocant. Nicolaus Secundinus Cretensis nominatur in ipsis concilii Florentini actis Graecis sessione IV. Ab aliis dicitur Nicolaus Euboicus, ut a Matthaeo Palmerio, et ex eo a Jacobo Philippo Bergomate: a Sabellico Nicolaus Sagodinus: a seipso Nicolaus Sagudineus Euripontinus, i.e. Euboicus; Euboea enim alias Euripontum sive Egripontum dicitur. Sic autem se habet subscriptio Graecorum confessionis de verbis consecrationis et transubstantiationis, a Bessarione exposita in concilio Florentino, quam edidit Mabillonius Musei Italici praecitati tomo I. parte 2. ex autographo bibliothecae magni ducis Hetruriae: "Ego Nicolaus
"Sagudineus Euripontinus, omnium supra
"scriptorum verborum interpres, et de Graeco
"in Latinum traductor, fateor omnia sic ad
"literam per praedictum dominum Nicaenum,
"modo ut supra, Graece dicta fuisse, et a me

" fideliter in Latinum conversa. In cujus rei " testimonium et fidejussionem requisitus hic " manu propria scripsi," &c. Post alias notariorum subscriptiones sequitur: " Ego Julianus, " tituli sanctae Sabinae presbyter cardinalis, " Sancti Angeli vulgariter nuncupatus, praesens " fui omnibus praedictis, et recognosco literam " scriptam manu praefati Nicolai Sagudinei, " communis interpretis Latinorum et Graeco- " rum," &c.

Nihil causae erat, quare dubitaret eruditissimus Mabillonius, fueritne hic idem cum Nicolao Euboico, de quo ita scribit Matthaeus Palmerius in libro, De temporibus, ad an. MCCCCXXXIX. " Nicolaus Euboicus, Latinae et Graecae lin- " guae atque elegantiae princeps laudatissimus " habetur: qui in frequenti concilio medius " assistens, multis et eruditis viris audientibus, " me quoque teste vidente audienteque, dispu- " tantium verba atque sententias, tum Graece, " tum Latine prolatas, mira celeritate ultro ci- " troque in utramque linguam fidelissime et " summo ornatu reddebat."

Est tamen cur dubitemus de subscriptionis, ac proinde de ipsius opusculi, veritate; quandoquidem a nullo alio Sagudineus nominetur Nicolaus, et in ipsis concilii actis, ut jam dictum est, Secundinus dicatur. Ἀνεγνώσθησαν παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου ῥεφερενδαρίου λαμπρᾷ τῇ φωνῇ ἐνώπιον πάντων· καὶ διηρμηνεύοντο εἰς τὸ Λατινικὸν παρὰ τοῦ ἡμετέρου ἑρμηνέως, κυροῦ Νικολάου Σεκουνδινοῦ τοῦ Κρητὸς, ἀνδρὸς πάνυ ἀρίστου, καὶ ἀξιολογωτάτου, καὶ ἄκρως μὲν ἐν τῇ τῶν Λατίνων γλώσσῃ ἐξησκημένου, καλῶς δὲ λίαν καὶ τὴν ἡμετέραν ἐπισταμένου, *Recitata*

tata ſunt a Deo amabiliſſimo referendario clara voce coram omnibus, convertente in Latinum ea domino Nicolao Secundino Cretenſi, noſtro interprete, viro longe optimo ac praeſtantiſſimo, pariterque in Lingua Latina apprime exercitato, Graeceque optime ſciente. Sic quoque in Sguropuli hiſtoria, qui et ipſe concilio adfuit, Sect. VI. c. 17. ϗ μετεγλώττιζε τοῦτο Λατινικῶς ὁ Σεκουνδῖνος, *Hoc in linguam Latinam tranſtulit Secundinus.* Nec videtur praeterea Julianus card. Sabinenſis in ſubſcriptione ſua additurus fuiſſe iſta: “ Sancti Angeli vulgariter nuncupatus: ” quamvis eum ſic vulgo nominatum fuiſſe, non diffitear. Concilii ipſius decreto, ſubſcribit tantum, “ Ego Julianus tituli ſanctae Sabinae “ presbyter cardinalis.” Quid? quod in ſubſcriptionibus iſtis, cum eas attentius expendam, videor mihi videre neſcio quid nimiae curae ac ſollicitudinis minus neceſſariae, quae confictorem aliquem reſipere videatur. Dum nimis laborioſe ſatagit, ut nulla de confeſſione exoriatur ſuſpicio, ſuſpicionem ipſe videtur excitare.

De Nicolai autem peritia promptitudineque exquiſitiſſima in interpretandis ultro citroque concilii diſputationibus, audiatur Andreas de ſancta cruce in Latinis concilii actis, collat. I. “ Audias rem auditu mirabilem. Nam uni “ cuidam Nicolao natione Graeco onus injun- “ ctum eſt, qui res tam grandes Graeco ſer- “ mone per Graecorum patres expoſitas, verbis “ Latinis, et quidem gravibus et facundia ple- “ nis illico proferebat, a ſenſu et ſententia in “ nullo divertens: quod difficillimum in tra- “ ductione ab omnibus judicabatur: pariterque

" Latina lingua per noſtros expoſita in Grae-
" cam convenientiſſime referebat. Aderant
" ex Latinis plurimi, qui Graecis literis eruditi,
" de fida tranſlatione judicium dabant: om-
" nium tamen judicio impoſſibilitati fuiſſet ad-
" ſcriptum, tam facilem eſſe traductionis mo-
" dum de rebus maxime tam profundis; cum
" et Hieronymus ſe magna verborum extollat
" copia de tranſlationibus propriis: quidamque
" noſtris temporibus famam apud Latinos maxi-
" mam vendicarunt, in certis Graecorum opuſ-
" culis Latinam in linguam traductis. Sed tam
" facile viſa animi praeſtantia, animique vigo-
" roſitate in comprehenſione expoſitorum, mul-
" to omnibus, de quibus memoria eſt, videba-
" tur hic praeferendus in traducendis Graecis
" literis in Latinas, et Latinis in Graecas. In-
" terfui tamen die quodam, cum per duos ex
" reverendiſſimis dominis cardinalibus ſancti
" Marci et ſancti Angeli multipliciter collau-
" datus vir hic reſpondit: Rem hanc facilis
" traductionis adſcribo Spiritus Sancti gratiae,
" cujus res agitur. Reſponſum quidem veri-
" tati, omnium judicio, conſonum viſum eſt.
" Erat igitur vir hic ſcabello quodam inter con-
" certantes diſpoſito ſedens, Latina in Graecum,
" et Graeca in Lat. illico cuncta exponens."

Verſatum fuiſſe Neapoli apud R. Alphonſum, circa medium iſtud ſeculum, una cum Theodoro Gaza, intelligimus ex Jacobi Curuli praefatione in Arriani Hiſt. Alexandri: " Bar-
" tholomaeus Facius tanto ſtudio ſuſceptum
" negotium" [transferendi Arriani libros] " am-
" plexus eſt, ut in eo annis circiter tribus dies

" et

" et noctes incubuerit, ſummaque diligentia " elaborarit. Affui ego una ſaepius, cum Ni- " colaum Sagondinum et Theodorum Theſſa- " lonicenſem, viros ſummos, et Graecarum La- " tinarumque literarum eruditiſſimos, conveni- " ret, et ab illis multarum rerum, quae La- " tinis obſcuriora videbantur, explanationem ex- " quireret, quae Vergerius abſurde tranſtuliſſet; " hique Arrianum multis laudibus efferrent."

Ex Sabellico diſcimus fuiſſe illum reipublicae Venetae ſecretarium; Ennead. x. libro IV. " Nicolaus Sagodinus, Venetorum ſcriba, Graece " et Latine diſertus, fidiſſimuſque utriuſque " gentis interpres."

Eundem fuiſſe exiſtimo Sagadinum illum, quem recenſet Baptiſta Fulgoſus inter illos ſcriptores, ex quibus memorabilia ſua collegit.

DE

DE GRAECIS ILLUSTRIBUS, etc.

LIBER II.

De GRAECIS *literatis, qui in* ITALIAM, *aliasque regiones occidentales concessere post urbem* CONSTANTINOPOLIM *a* TURCIS *captam.*

CAP. I.

De JOANNE ARGYROPYLO.

DIXIMUS in libro priori De Graecis eruditis, qui Italiam lingua Graeca ac literatura politiori illustrare coeperunt ante cladem urbis Constantinopolitanae, quae fuit anno MCCCCLIII. In libro hoc secundo sequuntur illi, qui in Italiam post urbem expugnatam se contulere, vel de quibus dubium est,

eſt, utrum ante vel poſt iſtam calamitatem illuc concederent.

Quinam fuerit, ante urbis excidium, literarum ibi Graecarum ſtatus, qualiſque Grammaticorum Conſtantinopolitanorum eruditio, dignoſcimus ex epiſtola quadam Franciſci Philelphi ad Petrum Perleonem ea in urbe commorantem anno MCCCCXLI. "Cum iſtic eſſem, diu multumque ſtudui, quaeſivique diligenter, comparare aliquid mihi ex Apollonii Herodianique iis operibus, quae ab illis de arte Grammatica copioſe fuerant et accurate ſcripta. Nihil uſquam potui odorari. Nam a magiſtris ludi quae publice docentur, plena ſunt nugarum omnia. Itaque neque de conſtructione grammaticae orationis, neque de ſyllabarum quantitate, neque de accentu quicquam aut perfecti aut certi ex iſtorum praeceptis haberi poſſunt. Nam lingua Aeolica, quam et Homerus et Callimachus in ſuis operibus potiſſimum ſunt ſecuti, ignoratur iſtic prorſus. Quae autem nos de hujuſmodi rationibus didicimus, ſtudio noſtro diligentiaque didicimus: quamvis minime negarim nos ex Chryſolora ſocero adjumenta nonnulla accepiſſe."

Retinebatur tamen ad illa uſque tempora lingua Graeca pura, non modo apud viros literatos, ſed et apud aulicos, et nobiles praeſertim mulieres, velut idem teſtatur Philelphus in epiſtola alia anni MCCCCLI. "Graeci, quibus lingua depravata non ſit, et quos ipſi tum ſequimur tum imitamur, ita loquuntur vulgo hac etiam tempeſtate, ut Ariſtophanes comi-

"cus,

" cus, aut Euripides tragicus, ut oratores om-
" nes, ut hiſtoriographi, ut philoſophi etiam
" ipſi et Plato et Ariſtoteles. Literati autem
" homines et doctius et emendatius. Id autem
" patet ex hiſce Platonis Ariſtoteliſque libris,
" quos aetas proxima, aut paulo ſuperior, ex
" Graeco in Latinum convertit: quam certe
" ob rationem pleriſque in locis obſcuriſſimi
" ineptiſſimique ſunt: quoniam ii ſunt illos
" interpretati, qui linguam vulgarem tenebant
" eam, quae et a plebe erat depravata, atque
" corrupta ob peregrinorum mercatorumque
" multitudinem, qui quotidie Conſtantinopolim
" confluebant, in urbemque recepti, incolae
" Graeciſque admixti, locutionem optimam in-
" fuſcarunt inquinaruntque. Nam viri aulici
" veterem ſermonis dignitatem atque elegantiam
" retinebant: in primiſque ipſae nobiles mu-
" lieres, quibus cum nullum eſſet omnino cum
" viris peregrinis commercium, merus ille ac
" purus Graecorum ſermo ſervabatur intactus.
" Verum quid dixi cum peregrinis? cum ne
" cum ipſis quidem concivibus ullus dabatur
" hujuſmodi mulieribus colloquendi locus: cum
" domo nunquam niſi noctu egrederentur: at-
" que id quidem et raro, et equites, et velata
" facie, ductaeque a domeſticis ac ſuis, dum
" aut templum per religionis celebritatem ali-
" quam interdum, aut ſanguine conjunctiſſimos,
" viſendi gratia peterent.

Idem Philelphus in epiſtola anni MCCCCXLI. ad Saxolum Pratenſem: " De tua in Pelopon-
" neſum, quam inſtituiſti, profectione accipe
" ſententiam meam. Fuit olim Peloponneſus
" in

"in universa Graecia et viris et opibus pollens: "nunc iis vacua prorsus. Nam propter con-"tinuas barbarorum incursiones incolarumque "ignaviam adeo est bonis exinanita omnibus, "ut praeter unum Georgium Gemistum virum "certum, et doctum, et gravem, et disertum, "nihil invenias dignum laude. Principes enim "illi Palaeologi, ipsi quoque inopia pressi, vel "suis sunt ridiculo ac praedae. Itaque praeter "unum Gemistum caetera illic omnia com-"miserationis sunt plena. Accedit, quod lingua "etiam ipsa adeo est depravata, ut nihil om-"nino sapiat priscae illius et eloquentissimae "Graeciae. Mores vero barbarie omni bar-"bariores. Quare si me audias, non Pelopo-"nesus tibi, sed Thracia, hoc est, nova Roma "Constantinopolis petenda est. Illic enim et "viri eruditi sunt nonnulli, et culti mores, et "sermo etiam nitidus. Quod eo tibi magis "faciundum censeo, quod nesciam quanta sit "tibi Georgii Gemisti futura copia, si Pelopon-"nesum petieris. Est enim jam admodum se-"nex, quique magistratum gerit nescio quem. "Caeterum Constantinopolim petiturus poteris, "si videbitur, ad virum ex itinere tantisper di-"vertere, donec praesens ipse coramque diju-"dices et regionem et viros."

Excidium urbis, miserabile illud et nunquam sine gemitu commemorandum, his verbis, inter alia multa, deplorat Aeneas Sylvius, postea Pius II. in oratione ad principes Germaniae in conventu Ratisponensi habita paucis post mensibus: "Mansit apud Constantinopolim us-"que ad nostrum tempus vetustae sapientiae

"monu-

"monumentum, ac velut ibi domicilium literarum esset, et arx summae philosophiae. Nemo Latinorum satis doctus videri poterat, nisi Constantinopoli aliquando studuisset, quodque florente Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenae, hoc tempestate nostra Constantinopolis obtinebat; unde et multa veterum sapientum volumina susceperamus, et in futurum suscipere sperabamus. At nunc vincentibus Turcis et omnia possidentibus quae Graeca potentia tenuit, vereor ne de literis Graecis omnino sit actum.——Turca literas odit, humanitatis studia persequitur. In cujus manus venisse nunc doctam eloquentemque Graeciam, nescio quis satis deflere queat. ——At nunc contrita deletaque Graecia, quanta sit facta literarum jactura cuncti cognoscitis, qui Latinorum omnem doctrinam ex Graecorum fontibus derivatam non ignoratis." Pene eadem ad verbum repetuntur in ejusdem epistola quadam data XII Cal. Augusti eodem anno; ubi haec insuper leguntur: "In quorum manus venisse Graecam eloquentiam, non scio quis bonae mentis non doleat. Ubi enim modo facunda ingenia requiramus? Praecisus est fluvius omnium doctrinarum, musarum desiccatus fons. Nunc poesis, nunc philosophia sepulta videtur. Fateor multis locis apud Latinos studia literarum esse illustria, ut Romae, Parhisiis, Bononiae, Paduae, Senis, Perusii, Coloniae, Viennae, Salamanticae, Oxoniae, Papiae, Lipsiae, Erfordiae: sed rivuli sunt omnes isti ex Graecorum fontibus derivati. A fonte

"praecide

" praecide rivum, praecisus arescit——Ecce " nunc Turci literarum et Graecarum et Latinarum hostes, ut suis literis locum faciant, " nullum librum alienum esse sinunt. Hi nunc, " Constantinopoli capta, quis dubitet, incendio quaevis scriptorum monimenta concedent. " Nunc ergo et Homero, et Pindaro, Menandro, et omnibus illustrioribus poetis secunda " mors erit. Nunc Graecorum philosophorum " ultimus patebit interitus. Restabit aliquid " lucis apud Latinos. At fateor neque id erit " diuturnum, nisi mitiori nos oculo Deus ex alto " respexerit, fortunamque vel imperio Romano " vel apostolicae sedi praebuerit meliorem. Cum " sede Romana vivunt, moriuntur Latinae literae," &c.

Laurus Quirinus [a], Venetus, in epistola ad Nicolaum V. papam, de expugnatione Constantinopolis [b], data Candidae [an Candiae ?] idibus Julii [eodem anno] quae latet manuscripta in bibliotheca Cottoniana, ait se a cardinale Rutheno accepisse, ultra centum viginti millia librorum volumina fuisse devastata. " Ergo et lingua (inquit) et literatura Graecorum tanto " tempore, tanto labore, tanta industria inventa, " aucta, perfecta peribit, heu ! peribit. Et quis " vel adeo durus, vel adeo ferus, ut se a lacrymis possit abstinere ? Illae literae peribunt, " quae orbem universum illustrarunt, quae salutares leges, quae sacram philosophiam, quae

[a] In indice impresso, male dicitur Laurentii Grimani.
[b] Ait Turcas (quos passim Teucros appellat) ad urbem obsidendam venisse MCCCCLIII. April. 4.

" reliquas

" reliquas bonas artes adduxerunt, quibus vita " humana exculta eſt."

Tot voluminum jacturam dolere ſatis nequeunt bonarum literarum cultores. At vero excidio urbis tantum abfuit ut periret Graecorum lingua ac literatura, ut in hiſce regionibus occidentalibus eo magis floreret ac illuſtraretur, migrantibus inde pluribus literatis hominibus, et libris Graecis undecunque collectis advectiſque. Id quod res ipſa loquitur, et Angelus Decembrius, ejuſdem aevi ſcriptor, aperte teſtatur De literaria politia lib. i. parte 8. " Nam poſteaquam vaſtata a barbaris infidelibus Conſtantini " civitate, caeſoque ejus imperatore optimo viro, Deſpotis frater Romam cum gentis ejus " reliquiis confugiſſet, vix credibile eſt, quam " multi noſtrorum pene Graeci effecti ſint, quaſi " in Attica vel Achaia conſueti, facultatemque " compererint Graeca volumina pertractandi." Neque tanta in linguam Graecam bonaſque literas feritate deſaevierunt victores barbari, quanta iſti Aegypti regionis expugnatores, qui dicuntur omnibus Graecis illic repertis, numero triginta mille, linguas praecidiſſe, ne Graece loquerentur. Quin vero conſtat in urbe Conſtantinopoli, poſtquam a Turcis capta fuiſſet, floruiſſe magno numero literarum non modo aliarum, verum etiam Graecarum, ſtudioſos. Teſtatur enim Reuchlinus lib. i. De arte cabaliſtica, " plus illic fuiſſe diſcipulorum quam decem millium, e Perſia, " Graecia, Latio, et Judaiſmo."

Inter primos poſt urbem expugnatam in Italiam profugit Joannes Argyropylus (alias Argyropulus,

ROPULUS, ſive ARGYROPOLUS) civitatis illius et civis et presbyter, et diu profeſſor philoſophiae eximius, qui Florentiae literas Graecas et philoſophiam publice profeſſus apud Medicem Coſmum, et dein apud Coſmi filium Petrum nepotemque adeo Laurentium, inſigni [c] fuit et autoritate et gratia, quibus etiam libros dicavit Ariſtotelis a ſe verſos in Latinum, ſed et ipſum vix adhuc quidem puberem Laurentium dialecticis imbuit, eaque philoſophiae parte, quae de moribus praecipitur. Angelum quoque Politianum, Donatum Acciaiolum, alioſque inſignes viros in philoſophia, ibi habuit diſcipulos; nec in Graecis modo diſciplinis eruditiſſimus eſt habitus, ſed etiam Latinarum literarum minime incurioſus. Peſtilentia demum Etruriam evaſtante Romam conceſſit, profitendoque Graece Ariſtotelem, ita [d] optimis ſtipendiis vitam traduxit, ut tota ſubſtantia quotidianis ſumptibus aequaretur, et in extremo vitae actu jocatus, ditiores amicos, aeris alieni, condito teſtamento haeredes relinqueret. Vini et cibi aeque avidus et capax, et multo abdomine ventricoſus, [haec Jovius, ſed ei ſubiratus, quod Ciceronem non magni fecit,] immodico meloponum eſu, autumnalem accerſivit febrem, atque ita ſeptuageſimo aetatis anno ereptus eſt. Joannes autem Laſcares eundem civem et magiſtrum hoc Graeco carmine laudavit, quod Majoranus Laſcaris diſcipulus ſic vertit:

[c] Politian. miſcel. cent. 1. c. 1.

[d] Jovius.

Hoc

Hoc Argyropylus, patria procul alta ſophiae
Dogmata qui coluit, conditur in tumulo.
Dat patria huic nomen, ſacrum dat Roma ſepulchrum,
Neſcio quae potior huic fuerit patria:
Illa genus nomenque dedit, verum inclyta Roma
Nutrivit, coluit, perpetuoque tenet.

Raphael Volaterranus, (a quo Argyropolus dicitur) teſtatur illum Florentiae diu profeſſum fuiſſe multoſque docuiſſe, obiiſſe vero paulo poſtquam Romam adveniſſet, ibique publico ſalario docuiſſet, relicto filio Iſacio nobili muſico.

In cod. Graeco MS. [e] bibliothecae Bodleianae, quo continentur Porphyrii Iſagoge cum ſcholiis marginalibus, et Ariſtotelis organon itidem cum ſcholiis, habetur Argyropyli noſtri tanquam Conſtantinopoli diſcipulos quoſdam logicam docentis effigies, quam hic exhibendam putavi. Scholia autem cum in Iſagogen tum etiam in Organon, ipſius eſſe, inde facile colligas. Inter alios ibi diſcipulos, Michaelem Apoſtolium habuit, cujus extat in bibliotheca Vindobonenſi oratio ad magiſtrum ſuum Joannem Argyropulum habita, cum ipſe Conſtantinopoli publice docere inciperet, ſuperſtite adhuc ultimo imperatore Conſtantinopolitano Conſtantino Palaeologo.

Eum Conſtantinopoli docuiſſe ante annum MCCCCXLI. patet ex epiſtola Franciſci Philelphi ad Petrum Perleonem eo anno conſcripta, e qua etiam diſcimus fuiſſe illum hominem in moribus levem et moroſum: "Commendavi te "per literas Joanni Argyropylo presbytero eru-

[e] Baroc. 87.

" dito ac diserto, et amice et diligenter. Quan-
" tum autem commendatio de te mea profuerit,
" fac ut certior fiam. Solet enim quandoque
" vir iste non minus levitatis morositatisque
" prae se ferre quam disciplinae. Sed tu uteris,
" si sapias, prudentia tua: teque et hominis
" ingenio accommodabis et tempori. Litera-
" tura tibi ex eo comparanda est, non mores."

Anno MCCCCLVI. postquam Florentiae profiteri coepisset, in Galliam inde profectus est, ad impetrandam regis munificentiam, qua nonnullos ex sua familia servitute Turcarum oppressos redimere posset. Extat hac de re ejusdem Philelphi epistola commendatitia ad Thomam regis Galliarum medicum dat. anno praedicto XV. cal. Jun. Continetur in eadem illustre illius praeconium in haec verba:

" Facerem non tibi modo, sed etiam Chri-
" stianissimo regi Karolo injuriam, nisi tibi eos
" quotidie commendarem, quos dignos cen-
" seam studio benevolentiaque tua.——Itaque
" nolim mireris, si tibi quotidie commendo
" Constantinopolitanos cives, qui nobilissima pa-
" tria atque fortunis et bonis omnibus orbati
" miserabiliter serviunt apud ipsos Turcas. Tu-
" um autem est his, quantum facultas tua dig-
" nitasque patitur, benefacere. Nihil enim te
" cogo, sed aut hortor aut moneo. Nunc au-
" tem maxime omnium sim accusandus, ubi
" tibi minus commendaro diligenter clarissi-
" mum philosophum, et eundem virum elo-
" quentissimum atque omni disciplinarum ge-
" nere praestantiaeque pollentem Joannem Ar-
" gyropylum, qui tibi meas hasce reddidit li-
" teras.

"teras. Est enim etiam ipse non mediocris
"pars luctuosissimi illius naufragii, quo modo
"imperium illud orientale obrutum penitus
"absumptumque est. Quare cum adhuc in
"plerisque suis lacrymabilem servitutem agat
"apud barbaram illam immanemque nationem,
"tuae vel humanitatis vel officii esse arbitror,
"ut quibuscunque in rebus poteris te in hunc
"talem ac tantum virum et pium praestes et
"perbenignum. Nam hoc uno nemo est in
"universo Graecorum genere neque doctior ne-
"que sapientior."

Idem in epist. ad Donatum Actiolum sive Acciaiolum Florentinum, dat. Mediolani prid. Cal. Jul. MCCCCLVI. "Joannem Argyropi-
"lum, quem mihi diligentissime commendares,
"et vidi libentissime, et virum doctrina et elo-
"quentia singulari, et rebus omnibus quibus
"potui, tum publice, tum privatim pro digni-
"tate sum quam accuratissime prosecutus. Is
"a principe nostro perhumaniter perbenigne-
"que tractatus, transivit ad Transalpinos, re-
"diturus ad vos ad constitutum tempus. Te
"vero et reliquam Florentinam juventutem non
"possum non laudare, quod talem tantumque
"et oratorem et philosophum Graeca vobis
"instituendis disciplina praefeceritis. Nam
"censeo neminem inter Graecos hoc uno viro
"omni disciplina praestantiorem. Quod eo
"pluris faciendum existimo, quod Latinam
"etiam eloquentiam perpulchre callet. Incum-
"bite igitur, ut coepistis, ut, quandoquidem
"hujusmodi doctorem adepti estis, quod inge-
"nium natura habetis acerrimum, id studio

" quoque diligentiaque vestra indies magisque
" augescat atque exornetur."

Florentiae commoratum fuisse anno MCCCCLX. ex alio intelligimus Philelphi epistolio.

Anno MCCCCLXXIII. postquam Florentia discessisset, carmine Graeco ad eum Dorice scripto vota sua pro reditu ejus in hanc sententiam (interprete Jacobo Tusano) exprimit discipulus Politianus, Graeca enim brevitatis causa omitto.

Quantum sitiens cervus fonte caeruleo
Delectatur, quantum ovis aestatis medio opaco nemore,
Quantum area formica, quantum hortis apis,
Quantum arbore cicadae, quantum vero ololygo,
Quantum vero garrula hirundo vere primo;
Tantum nunc omnes musarum laetati sunt sequaces:
Et nos vero in primis, quando tui nunciabatur reditus
Sacri capitis, Sophiae princeps, Argyropyle.
Et neque sic boreae aureas pennas habentes unquam filios
Phinea aiunt desiderare, ut Harpyias expellant:
Ut hoc omnes nunc, Sophiae candidati quotquot
Immortaleis sumus, unanimiter hic desideramus,
Ut animo oculorum tenebras, caliginemque abjicias.
Nunc enim heu miseri obliquis erramus viis,
Nec est possibile caecis invenire sinuosum iter
Rectae vitae, et effugere barathrum
Humanae stultitiae, multifremumque tumultum:
Nisi manum apprehendens tu quidem nunc pater nos dirigas,
Faces verorum praeceptorum accendens.

Sed

Sed quid non properas profectus? quid vero non auscultas?

Omnes publica publicum voce vocamus semper
Venire, ut infantes ad suum gannientes nutricium,
Super omnes vero ipse ob spem liquesco, ut quaepiam
Humida gutta ob jubar solis qui torruerit eam.
Nempe et niveo lapillo et carmine erit
Ille dies mihi admodum dignus, cum te
Reversum amica viderim facie.

Eodem anno epigramma aliud Graecum ad eum scripsit Politianus, quod Latine sic sonat:

Ipsa quidem inter immortales dicitur veneranda Hebe
Nectar aureis infundere poculis.
Tibi autem inter homines Deus dedit, Argyropule, Aureo ex ore poculum fundere sophiae.
Illa vitam quidem insenescentem immortalibus servat:
Tu vero etiam a mortalibus arces mortem.

Idem postea Politianus Miscel. c. 1. "Argyro-" pylus ille Byzantius, olim praeceptor in philo-" sophia noster, cum literarum minime incurio-" sus, tum sapientiae decretorum, disciplinarum-" que adeo cunctarum, quae Cyclicae a Martiano" dicuntur, eruditissimus est habitus." Ibidem eum impugnat, quod perquam ferens iniquo animo exclamationem istam M. T. Ciceronis, qua Graeciam verborum interdum inopem, quibus se putat abundare, pronunciavit, et ob id ei subiratus, dictitare ausus est ignarum fuisse non philosophiae modo Ciceronem, sed etiam Graecarum literarum. Subdit Politianus: "Et ut homo" erat omnium (ut tum quidem videbatur)

 "acerrimus

"acerrimus in disputando, atque aurem (quod
"ait Persius) mordaci lotus aceto, praeterea
"verborum quoque nostrorum funditator maxi-
"mus, facile id vel nobis, vel caeteris, tum
"quidem suis sectatoribus persuaserat: ita ut,
"quod pene dictu quoque nefas, pro concesso
"inter nos haberetur, nec philosophiam scisse
"M. Tullium, nec Graecas literas."

Idem rursus in ejusdem operis praefatione ad Laurentium Medicen: "Quoniam rectae coe-
"nae speciem vicemque graviora illa occupant,
"qualia tibi multa vel Marsilius Ficinus Plato-
"nis, vel Aristotelis interpres Argyropylus By-
"zantius, e philosophiae penu congesserunt."

Alibi dicit [f] se "tenera adhuc aetate, sub
"duobus excellentissimis hominibus, Marsilio
"Ficino Florentino, cujus longe felicior quam
"Thracensis Orphei cithara, veram (ni fallor)
"Eurydicen, hoc est, amplissimi judicii Plato-
"nicam sapientiam, revocavit ab inferis, et Ar-
"gyropylo Byzantio Peripateticorum sui tem-
"poris longe clarissimo, dedisse philosophiae
"utrique operam."

Illum Romae Thucydiden interpretantem audivit Joannes Reuchlinus, sive Capnio, Germanus. De quo suo cum eo congressu Capnio solitus est hanc recitare historiam [g]: "Cum in
"auditorium venisset ante lectionem more le-
"gati cum mediocri comitatu, et assiderent
"ibi multi nobiles homines senes, cardinales
"etiam aliqui, salutat Argyropylum reverenter,
"deplorat exilium Graecorum, et narrat se cu-

[f] C. 100. [g] Melanchthon. declam. vol. 1. Orat. de stud. linguarum. Carionis Chron. a Melanchthone auctum.

"pidum

" pidum esse doctrinae ipsius. Argyropylus
" interrogat cujas sit, et an Graecam linguam
" intelligat. Hic narrat se Germanum esse, et
" Graecae linguae non omnino rudem. Jubet
" igitur Argyropylus eum legere partem Thu-
" cydideae concionis, et reddere sententiam.
" Legit Capnio clara voce, additque interpre-
" tationem; cumque et sonus pronunciationis
" non esset agrestis, et sententia recte et bonis
" verbis reddita esset, animadvertit Argyropylus
" non admodum tyronem esse in lingua Graeca,
" et gemens exclamat: Graecia nostro exilio
" transvolavit Alpes."

De eo ejusque operibus haec habet Paulus Jovius: " Joannes Argyropylus Byzantius Tur-
" carum impetu Graecia ejectus apud Cosmum
" Medicen gloriosa liberalitate literis faventem
" in honore fuit, tanta nominis existimatione,
" ut Petro filio, nepotique Laurentio, praeceptor
" datus loco parentis haberetur, publice vero
" Florentinae juventuti Graecos auctores enar-
" raret. Grati idcirco animi erga Mediceae
" gentis proceres vigiliarum praeclara extant
" monumenta, consecrata in ea domo altrice
" verae virtutis. Aristotelis enim naturalia at-
" que moralia generose transtulit: ita applau-
" dente Gaza vetere sodali, qui diversas Ari-
" stotelis partes vertendo desumpserat, ut quae-
" dam ab se pariter translata, ne amicissimi ho-
" minis crescenti famae officerent, si ad aemu-
" lationem odiosa comparatione certaretur. La-
" tina enim ubertate facundior, et Graecorum
" modestissimus hoc facile dabat elate ambitioso
" et amplioris fortunae percupido, quod ipse
" omnis

" omnis ſemper lucri, et praeſentis tanquam " evanidae laudis contemptor extitiſſet; Argy- " ropyli autem ſermones cum faſtidioſi tum " graves eruditis auribus eſſent, et tum maxi- " me, quum Ciceronem Graecas ignoraſſe literas " illoto ore praedicaret," etc.

Quo anno obierit, non ſatis conſtat. Hoc tantum apparet, ſuperſtitem fuiſſe Theodoro Gazae, adeoque annum MCCCCLXXVIII. vivendo ſuperaſſe: cum Jovius illum poſt Gazam collocat, et tamen profitetur ſe de viris illuſtribus acturum, " eo ordine diligenter ſervato, ut ad " exactam temporis rationem, qui primo vita " exceſſerint, ſubſequentes antecedant."

Extant ex ejus verſione Ariſtotelis Organon phyſicarum auſcultat. libri VIII. De coelo IV. De anima III. Ethicorum ad Nicomachum X. Analytica poſtrema, et Porphyrii Anagoge. Juſſu Coſmi Medicis nonnullos ex hiſce Ariſtotelis libris tranſtulit. Qua de re Marſilius Ficinus praef. in Xenocratis de morte librum ad Petrum Coſmi F. " Coſmus, ut in primis philoſophiae " ſacris initiaretur, nonnullos Ariſtotelis libros " converti ab Jo. Argyropylo, viro doctiſſimo, " voluit, eoſque diligentiſſime legit."

Ariſtotelis ſpeciatim ethica Coſmi nomine traduxit, publiceque deinde explicuit; illiuſque potiſſimum expoſitiones exhibet commentarius Donati Acciaioli ipſius diſcipuli, ipſi Coſmo dicatus. In epiſt. dedicat. de Argyropylo haec habet Donatus: " Cum poſt interitum quorun- " dam doctiſſimorum hominum ſtudia Floren- " tina magna ex parte remiſſa viderentur, venit " in hanc urbem Argyropylus Byzantius, vir

" ingenio

" ingenio praeſtans ſummuſque philoſophus, ut " juventutem literis Graecis ac bonis artibus " erudiret: jamque plures annos doctrinam tra- " didit nobis tanta copia, tam multiplicibus va- " riiſque ſermonibus, ut viſus ſit temporibus " noſtris veterum philoſophorum memoriam re- " novare. Sed inter caetera philoſophiae opera " cum Ariſtotelis libros, qui ad Nicomachum " de moribus ſcribuntur, mirifice eſſet com- " plexus, eos tuo nomine Latinos fecit, publi- " ceque deinde explicuit, non ſine magna au- " dientium approbatione.——Ego una cum " pleriſque aliis, qui hujus quoque praeceptoris " diſciplinam ſequuntur, in iis audiendis prae- " cipuam curam diligentiamque adhibui, ut ea " tantum documenta perciperem, quae ad bonos " mores et rectam vivendi rationem conferrent; " poſtea vero cum viderem hos libros a te et ab " iis omnibus, qui ingenio vehementer excel- " lunt, libentiſſime legi, ulterius progrediendum " ratus, expoſitionem hujus doctoris accommo- " datam praecipue menti philoſophi literis man- " dare conſtitui, ut ii qui adeſſe non potuerunt, " et harum rerum deſiderio tenerentur, haec " quae nos ex ejus ore accepimus, percipere et " ipſi pro arbitrio poſſent.—Verum tibi, Coſme, " ac Petro filio haec omnia accepta referri de- " bent, quorum opera factum eſt, ut ex uberri- " mis ſermonibus hujus ſummi philoſophi an- " tiquorum more ad cives veſtros manaret do- " ctrina, et in Florentia urbe, in qua caeterae " artes magnopere vigent, floreret etiam quoad " fieri poteſt ſtudium ſapientiae," etc.

Libros

Libros physicae auscult. bis traduxit prius raptim et paraphrastice, postea strictius, uti ipse scribit in epist. dedic. ad Petrum Cosmi F. "Superioribus annis prope studiorum nostrorum "exordia, quae patrem tuum, divinum ho- "minem illum, et te auctorem habuerunt ac "fautorem, sapientissime Petre, libri naturalis "auscult. Aristotelis raptim traducti cum lege- "rentur patri oblati sunt, recte quidem sen- "tentias referentes auctoris; latius autem eas "explicantes pluribusque verbis, ut auditores "optarunt ac postularunt: et illi namque faci- "liorem cognitu reddi doctrinam hoc pacto pu- "tarunt, et ipse voluntati eorum consentaneae "rationi non obsequi non humanum esse ex- "istimavi. Nunc vero alio longe praestabiliori "modo, legibusque muneris hujusce magis ac- "commodato, libros eosdem traductos nonnul- "lorum hominum postulatione tibi offero." Ibidem testatur se nonnullos alios Aristotelis libros ejusdem Petri nomini antea inscripsisse.

Tractatus ejus De processione Spiritus Sancti et concilii Florentini decreto, ad Cosmum, ipsiusque jussu, scriptus, extat ab Allatio Graece et Latine editus in Graeciae orthodoxae tomo I. In fine pollicetur, "Latiorem posthac, si an- "nuerit Cosmus, de rebus divinis sermonem se "habiturum, accuratiusque theologicas senten- "tias recensiturum."

Ejusdem comparatio veterum imperatorum cum hodierno; consolatio ad Constantinum Palaeologum; ad eundem De regno scriptum, et in Joannem Palaeologum, Parisiis servantur in cod. regio 56.

Illius

Illius ſolutiones quaeſtionum, quas propoſuerunt philoſophi et medici quidam ex Cypro inſula, habentur ibid. in cod. reg. 1929.

In papam Nicolaum ſcriptum ejus quoddam extat in bibl. Hiſpanica Scorialenſi.

Celebratur a Florido Sabino [h] tanquam unus e Graecis illuſtrioribus, recenſitis una cum eo Beſſarione, Trapezuntio, et Gaza.

Janus Pannonius:

Jure dedit clarum tibi porta Argentea nomen,
Qui nitidum ad ſophiam tam bene pandis iter.

Idem de Ariſtotele ab eo verſo:

Gratia magna tibi, de Graio qui facis ut ſim
Italus, et facilis qui modo durus eram.
Vix bene nota meis olim mea dicta Pelaſgis,
Te duce, nunc Latiis en patuere viris.
Quid quod conſanguinei, quod ſis interpres et autor,
Poſſidet et geminum Graecia noſtra decus?
Scriptores alios ipſi vertere Quirites,
At me gentili munere Roma legit.

Joannem Argyropylum juniorem Graecum, qui verterit Ariſtotelis De interpretatione librum, commemorat Geſnerus in bibliotheca, ſenioris hujus haud dubio filium, quamvis Raphael Volaterranus meminit tantum Iſacii illius filii, nobilis muſici, qui ei fuerit ſuperſtes. At credibile eſt Joannem ante mortem patris obiiſſe.

[h] Apolog. in L. L. calum.

Alium

Alium filium habuit nomine Bartholomaeum, juvenem eruditum, qui dum Romae verſaretur apud Beſſarionem cardinalem, cui fuerat a patre commendatus, a graſſatoribus quibuſdam ita vulneratus eſt, ut paulo poſt expiraret anno MCCCCLXVII. De cujus interitu extat epiſtola ad Joannem Argyropolum patrem conſolatoria Jacobi Picolominei cardinalis Papienſis, Beſſarionis cardinalis rogatu conſcripta [i], in qua haec leguntur: " Doluit ſupra modum nefario ſcelere " Paulus (pontifex) nec ingemuit aliter, quam " ſi de filio nuncium id accepiſſet, graſſatores, " anxia inveſtigatione miſſis qui ad vias acci- " perent, juſſit conquiri. Requiſivit etiam ho- " ris pene ſingulis, an aliqua vitae ſpes habe- " retur, et excedenti peccata fragilitatis noſtrae " indulſit. Ipſe vero Pater Nicenus, qui vul- " nera illius corde ſuo excepit et conſolationem " non invenit, ſeptem adhibitis medicis, ab ore " morientis nunquam diſceſſit: nullum leva- " minis aut miniſterii genus intemptatum re- " linquens, ſed contrahens undique omnia, per " quae tam charo apud ſe poſito pignori ſervari " ſpiritus poſſet. Imprimis autem viaticum " futurae quietis plenum perfectumque, ſenſi- " bus adhuc integris, miniſtrare curavit, quod " ille non minori religione accepit, quam pie- " tate tantus pater impenderit. In complexu " denique et benedictionibus ſuis creatori ani- " mam reddidit. Eum porro defunctum flevit " omnis curia, atque ad ſepulchrum uſque, " non privati alicujus, ſed principis pompa eſt

[i] Inter ejus epiſtolas numero 200.

" proſe-

"profecuta, ut plane fit indicatum, quanti filius et in eo pater apud nos haberentur. "Monimento autem intra bafilicam Petri indultus eft locus parte admodum celebri, quae "Califtum continet ejus nominis tertium, et "nec nifi magnis indulgeri eft folitus. Ad "fummos quoque bafilicae gradus, qui extra "bafilicam funt, vicarius templi cum omni "facerdotum collegio funebri folemnitate cadaver excepit. Si majus aliud potuiffet conferri, contuliffent libenter defideria noftra. "Dileximus etenim illum, et excellenti doctrinae fuae deberi judicavimus omnia. Videns "ego Nicenum noftrum tanta affectum moeftitia, ut fine lacrymis fcribere horum quicquam "non poffit, ne perirent apud te fua et caeterorum officia, commemoranda tibi ea putavi.—Ita tu ex me audiens Bartholomaeum "tum in fideli patris fui minifterio accepiffe "vulnera, et plenam religionis mortem obiiffe." Idem Papienfis in epiftola proxime fubfequente ad Beffarionem: "Secutus dignationis tuae "confilium fcripfi Joanni Argyropolo de obitu "filii: magis id agens, ut officia in fe tua ille "agnofceret, quam ut in tanta doctrina confolationem a me ullam acciperet. Diftulit dies "multos refponfum; credo propter animum "nondum ex moeftitia recreatum. Refpondit "tandem, fatis oftendens quantum poffit humanitas. Doleo vicem hominis docti ferentis "mollius hunc ejus cafum, quam tantae virtuti conveniat.——Mitto tibi exempla literarum, ut ex meis promiffum officium, ex il-

"lius

" lius vero multam ſine robore doctrinam in-
" telligas."

De tempore quo verſiones ſuas confecit Argyropylus mire fallitur Eraſmus, quum in praefatione in Ariſtotelis opera Graece Baſileae edita ait illum eas confeciſſe, poſtquam ab Aldo opera Ariſtotelis fuiſſent edita: h. e. poſt an. MDXCV. " Principio fateor, inquit, plurimum gratiae " deberi Aldo, qui primus omnium ſua indu" ſtria typis Graece vulgarit autorem, quo vix " alius lectu dignior, nam antehac illum habe" bamus, ſed ita verſum, ut ad intelligendum, " Delio, quod aiunt, natatore eſſet opus, ſi " modo excipias quae vertit Theodorus Gaza, " in hoc genere feliciſſimus, et Leonardus Are" tinus. Nam Argyrophilum arbitror poſt edi" tionem Aldinam eam provinciam aggreſſum."

Volaterranus ait illum " aliquot Ariſtotelis " libros convertiſſe magis eleganter quam fide" liter, cum in hoc philoſopho, haud aliter " quam in ſacris libris, verbum verbo reddere " oporteat."

Thuanus in hiſt. de Joachimo Perionio verba faciens: " Is cum Ariſtotelem a Jo. Argyropylo " fideliter potius, quam ornate verſum auribus " Latinis proponendum ſtatuiſſet, dum elegan" tioris ſtyli potius quam veri rationem plerum" que Ciceroni ſuo addictus habet, in contra" riam ab Argyropylo reprehenſionem inci" dit, etc.

Huetii dialogus De claris interpretibus " CASAUB. Eadem aetas Theodorum Gazam et " Joannem Argyropylum tulit, de quorum fa" cultate praepoſterum extat Pauli Jovii judi" cium:

" cium: Gazae quippe ita extollit, Argyropyli " vero ita elevat induſtriam, ut huic iſtum abſ- " que ulla controverſia anteponere videatur. " Idem de Theodoro Gaza ſenſit Eraſmus, in " vertendo enim praecipuam ei laudem tribuit. " Ego vero ſecus arbitror, quod ſummorum " hominum pace dixerim; ut enim praecipuum " doctrinae decus Gazae concedamus, et ſolerter " excogitatis vocabulis, quibus res Latinis ig- " notas exprimeret, Romanam linguam locu- " pletaſſe demus, pleraque tamen vel Latine " parum, vel perplexe etiam, tum ſolute, et " phalerato ſermone explanaſſe fatendum eſt: " ſtrigoſior autem, ut voles, et obſoletior Ar- " gyropylus, caſtior certe et preſſior, Ariſtote- " lem, tuis enim verbis, Thuane, libenter utor, " fideliter potius quam ornate verſum auribus " Latinis propoſuit. FRONTO. Equidem Ar- " gyropylum interpretem fortaſſe non malum, " et tolerabilem, ſed cum Gaza minime con- " ferendum credideram: hic enim, aſſentiente " Nannio, ſententiarum diligenter ſervavit fi- " dem, indolem vero tanta felicitate expreſſit, " ut Graecorum majeſtas, dignitas, et affectus " extent in Latinis: Argyropylus vero repre- " henſus eſt a multis, nec flacceſcens ipſius ora- " tio aſpirare ad Gazam poteſt. CASAUB. " Pulchre tibi conſtas, Fronto, ut eos, qui fu- " ſum atque tractum amplexantur dicendi ge- " nus, anteponas; attenuatos vero et adſtrictos, " fidos licet, contemnas. Non efficies tamen " quin major quidem eloquentiae laus Gazae, " accurate tamen interpretandi Argyropylo de- " beatur."

De Demetrio quodam Argyropylo, Joannis fortaſſe fratre, ſpecie tenus philoſopho, extat hujuſmodi epiſtola Franciſci Philelphi ad Andream Alemannum, dat. MCCCCLI. "Demetrius Argyropolus iſthac iter facturus in "urbem Romam petiit a me, ut ſe tibi per "literas commendarem. Quod mihi tam fa-"cile eſt, quam quod facillimum. Modo in-"telligas eum eſſe Demetrium, qui cum gra-"vitate ac vero nihil habuerit commune un-"quam. Ex librario non inepto, quantum ad "formam literarum attinet, vult videri philo-"ſophus: id quod ex ornatu capitis longiore "quam pallio tibi facile fuerit judicare. Nam "neque vitae inſtitutis neque doctrina ulla phi-"loſophi quicquam ſapit. Verum lingua eſt "et celeri et expedita et ſuavi, ut Graecorum "nemini cedat: voce quoque et clara et ſo-"nora. Rem omnem tenes. Ita tibi hominem "commendo, ut illi adſis, et tecum habites.

CAP.

CAP. II.

DE DEMETRIO CHALCONDYLE.

CIRCA an. MCCCCLXXIX. ad profitendum in Gymnasio Florentino a Laurentio Medice invitatus est DEMETRIUS CHALCONDYLES (nonnullis minus recte Chalcondylus, aliis Chalcocondyles) Atheniensis natu, Theodori Gazae discipulus; qui aemulum ibi perambitiosum habuit Angelum Politianum, cui unum ex filiis suis in disciplinam tradidit Laurentius, ut praeceptorum aemulatione ad discendum magis accenderetur. Extant tamen in laudem ejus Politiani tum juvenis epigrammata quaedam Graeca, unde illum dignoscimus post mortem Gazae, adeoque post annum MCCCCLXXVIII. Florentiae profiteri coepisse. Epigrammatum istorum Latinas versiones, etsi prosa tantum conceptas, hic apponere libet. Primi Graeca legere est supra in Theodoro.

Ex quo utique Theodorus in coelum
Ivit, et ut quidem hirundinis pullos,
Matre pugnis infantuli de medio sublata,
Involucres reliquit hic in nido,
Frustra diu cibum hujus expectantes,
O Demetri, omnes miseri sane
Nunc supplicamus. Tu vero mitis accedens
Esurientibus Sophiae cibum nobis
Da. Tu nunc solus es dulcis nutricius.

Aliud:

Aliud:

Sirenum fugit dulcem olim concentum Ulyſſes,
O Demetri, tuum vero nequaquam carmen fugiſſet.
Etenim ego dulcis potus coenaeque indigens
Heri tuum non invitus carmen bibi et comedi.

Aliud ad ſtudioſos:

Fugite Pieridum confertim euntes cultores tellurem,
Univerſus Heliconiadum venit in urbem chorus.
Quod ſi quis rurſum illius thalamos et aedes quaerit,
Chalcondyli pectora incolit.

Neque inter eos exardere coeperunt inimicitiae, donec Politianus ipſe eaſdem literas publice profiteri incipiens, ob facundiam Latinam longe illuſtriorem, Florentinae juventutis encomia in ſe converteret. Poſt Laurentii principis obitum, h. e. anno . . . . ſive aemuli ſui inſolentia pertaeſus, ſive illius gloria in Latinis praeſertim literis obſcurari ſe aegre ferens, Mediolanum ſeceſſit a Ludovico Sfortia accitus. Ubi poſtquam multos annos non ſine magna nominis celebritate docuiſſet, fato functus eſt octogenario major, paulo antequam Galli Julii pontificis et Venetorum armis Italia pellerentur, i. e. circa an. MDX.

Eum anno MCCCCLXXI. commendaverat Nicolaus Perottus archiepiſcopus Sipontinus Jacobo Papienſi cardinali, legatum tum Peruſiae agenti, ut ad cathedram aliquam Peruſiae eveheretur: qua de re extat Papienſis ad Sipontinum [a] epiſtola hujuſmodi:

[a] Num. 401.

" Tuo

" Tuo teſtimonio de Demetrio noſtro ap-
" prime ſum delectatus: neque enim judicio
" falleris: epigrammate autem imprimis, cui
" et gravitas, et nitor, et non diffluens Latini-
" tas ineſt. Gratulor in viri hujus cognitionem
" veniſſe, et tibi gratias ago. Ero poſthac non
" amicus tantum, ſed doctrinae ſuae laudator,
" atque ingenii. Ut tu mihi eum dediſti, ita
" viciſſim illi nos ſponde. Doleo in hunc an-
" num conduci eum non poſſe. Cathedrae om-
" nes jam ſunt deſtinatae, et dicta ſalaria. Si
" admonitus deſiderii hujus non dies multos
" ante fuiſſem, erat virtuti ſuae non incommo-
" dus locus."

Hunc multorum ſuffragio tulit Lilius quidam Tiphernas ad doctrinam quantum video dexter.
" Si veniens annus me legatum, Demetrium
" id ipſum optantem habebit, implebit accu-
" mulate quod quaerimus."

Inter viros eruditos, quos Nicolaus V. pontifex ad libros Graecos Latine vertendos Romam advocavit, recenſetur ab Aenea Sylvio in Europae deſcriptione, cap. 58. Demetrius Graecus, quem eundem fuiſſe cum Demetrio noſtro dubitari vix poteſt, quamvis obiit Nicolaus pontifex anno MCCCCLV. unde conſtet Demetrium tum fuiſſe admodum juvenem; et in Italiam conceſſiſſe ante Conſtantinopolim expugnatam veriſimile ſit:
" Acceptiſſimi ei fuerunt in transferendis ope-
" ribus Georgius Trapezuntius, Laurentius Val-
" la, Petrus Candidus December, et Georgius
" Caſtellanus, item Demetrius natione Grae-
" cus; qui ſoluta oratione utentes, cum ponti-

" ficis aures mirifice oblectarent, nihil ex eo
" quod peterent non abstulerunt."

De eo sic Jovius: " Demetrius Chalcondyles
" diligens Grammaticus, et supra Graecorum
" mores, cum nihil in eo fallaciarum aut fuci
" notaretur, vir utique lenis et probus, scholam
" Florentiae instauravit, desertam ab Argyro-
" pylo, et a Politiano deficientibus Graecis oc-
" cupatam: sed ambitioso peracrique aemulo
" multis bonis malisque artibus suggestus locum
" et nomen defendendi Demetrius cessit, La-
" tina praesertim facundia inferior, et ob id
" rarescente auditorio a juventute destitutus,
" quandoquidem vel apprime doctus, facile je-
" junus et hebes, lascivis et delicatis auribus vi-
" deri poterat: quibus Politiani decantantis, et
" varios spargentis flores, jucunda argutaque vox
" et salsa comitas mira dulcedine placuisset. Sed
" mansit Demetrio honestus gratiae locus apud
" Laurentium, vel infesto et oblique semper
" incessente Politiano, qui cum neminem e
" Latinis sibi parem pateretur, Graecis ipsis eru-
" ditior existimari volebat. Divisit idcirco mu-
" nera Laurentius, ut aemulationis lites diri-
" meret; et filii praeceptorum contentione ad
" discendum accenderentur. Sed eo principe
" virtutis eximiae morte sublato, Demetrius
" Mediolanum a Ludovico Sfortia accitus est,
" abducta secum uxore Florentia, e qua jam
" liberos susceperat. Nec multo post profi-
" tendo perscriptoque utili volumine, rudimenta
" Grammaticae publicavit, quod Theodori,
" quanquam insignis liber De Arte eadem, uti

" pro-

" provectis et doctis ſcriptus, durior videretur." Idem alibi in Politiani vita: " Profeſſuſque demum in gymnaſio Graecas pariter Latinaſque literas, tantos in ſe excitavit clamores, favente juventute, ut Demetrius Chalcondyles, vir Graecus, praeſtantique doctrina, uti aridus atque jejunus a diſcipulis deſereretur."

Carionis chronicon a Melanchthone et Peucero auctum: " Poſt Argyropylum ſtudia Graecae linguae in Florentina ſchola gubernavit Demetrius Chalcondyles, Atticus homo, ſed inde pugnaci et ſaeva ambitione Politiani ejectus, Mediolanum ſe contulit."

Primum obtinet locum inter illos viros eruditos quos, in prooemio Cabalae ad Leonem X. ſcripto, dicit Jo. Reuchlinus a Laurentio Medice accitos fuiſſe Florentiam ad bonas literas ibi excolendas. " Ad hoc nobis eum fateri oportet commodius natum eſſe perinde atque coelitus demiſſum, ut poſt eloquentiae diſciplinas et bene dicendi artes a Petrarchis, Philelphis, Aretiniſque rhetoribus ante juventuti Florentinae traditas, quo eſſe abſque controverſia poſſent cives cunctis nationibus exteris nitidiore ſcribendi calamo et puritate linguae ornatiores, ipſe tandem patriae inferret quoque illam expultricem vitiorum ſapientiam et arcanorum inveſtigandi rationem, quae in libris et monumentis priſcorum ad ſua uſque tempora latuiſſent. Ad id provinciae diligenter accivit undequaque doctiſſimos viros, quibus cum rerum ſcientia etiam ſatis eſſet eloquentiae, Demetrium Chalcondylen, Marſilium Ficinum, Georgium Veſpucium,

" Christophorum Landinum, Valorem, Ange-
" lum Politianum, Joannem Picum Mirandulae
" comitem, caeterosque orbis eruditissimos, qui-
" bus antiquorum solertia et arcana vetustas ma-
" lignitate casuum obliterata in lucem rediret.
" Hoc egere summi viri certatim. Nam docuit
" hic, commentabatur alter, legerat iste, inter-
" pretatus est ille, ac linguas vertit in linguas."

Extat illius ad Joannem Reuchlinum epistola Graeca dat. ex Florentia αυϛα ἔτει· (in Lat. versione, MCCCCLXXXXI anno) Junii XI. de fratre Reuchlini ei in disciplinam tradito inter epistolas illustrium virorum ad Reuchlinum ed. MDXIX. et alia Latine de re eadem dat. Florentiae XVI. Junii MCCCCLXXXXI, ubi se inscribit Atheniensem.

Ejus studio et cura primo typis excusum est dictionarium Suidae Graecum Mediolani MCCCCLXXXXIX. Cui editioni praefigitur ipsius praefatiuncula Graeca, et Joannis Mariae Catanei, ipsius discipuli, epistola nuncupatoria ad Albertum Pium, cum ejusdem discipuli alius, Antonii Mottae, hoc tetrasticho:

Demetri, aeternos debet tibi mundus honores,
Quod dignum, quod tam nobile tradis opus:
Debet Motta magis, caro cui tanta resultat
Gloria discipulo, te duce quanta datur.

Carmen aliud adjecit Antonius, quo Mediolani maxime tunc temporis viguisse Graeca studia docet:

Olim Phocis erat doctis celebrata poetis,
Unde novum exhausit funditus Ascra melos.

Proximus

Proximus huic Helicon, rivo forte aemulus illi,
In quo tam expressit nobile Smyrna sophos.
Cadmeas Dircaeus olor volitare per arces
Dictus et immenso est perstrepuisse sono:
Dignius Insubri Suidae decus exit ab urbe,
In cujus lapsa est Graecia tota sinum.

Ad finem subjicitur Joannis Salendi carmen in Demetrii laudem:

Majestas, decus, et nitor vetustus
Argoi eloquii perire visus,
Et torpere gravi prius veterno
Sermo Cecropius, sophosque Achaeum,
Nostra cognitione jam remotum,
Propter barbariem parum ferendam,
A censoribus utriusque linguae.
Quum frustra appeteretur in poetis,
Gressu liberiore concitatis,
Et campo uberiore devagatis;
Quumque omnis quereretur ordo Phoebi
Esse interprete nunc opus perito,
Et musae Argolicae locum rogarent
In terris Latii feracis, atque
Scirent Hesperiae sinum beatum;
Demetri, auspiciis bonis in oras
Venisti has Italas polumque nostrum,
Graeca ut Pallade tunc parum vigente
Posses erigere, et juvare tristes
Moestas Pierides favore nullo
Graii nectaris, aut decore cultas;
Qui, praeter reliquos tuos honores,
Et praeconia multa quae mereris,
Longis usibus, arte, vel lepore,
Nobis Attica scripta quo resolvis

Tanta

Tanta cum gravitate, cum tenore
Conſtanti, ut videaris ore fari
Quo prius cecinere qui haec dederunt, etc.

Michaelis Marulli in illum carmen:

Dum per Hymettium diu
Nequicquam apis quaerit vaga,
In os ſacrum Chalcondyli
Et labra ſuaviflua incidens:
Heus, inquit, aequales bonae,
Huc huc adeſte ſedulae,
Matrem videtis Attida.

Pierius Valerianus de litterat. infel. "Demetrius Chalcondiles, cui Graecae litterae aetate noſtra ab interitu quodammodo vindicatae, quod nunc vigeant, debere fateantur, quot aerumnarum eventis oppreſſus miſerabilem ſemper vitam egit? utque exilium et patriam cum univerſo Graeciae regno everſam, et errores, antequam ubi conſiſtere poſſet, innumerabiles omittam; quam miſerum illud fuit quod ſuſceptae prolis tam numeroſae nullum unquam ſolatium percipere potuit, etc?"

Raphael Volaterranus in Anthropologia: "Ex diſcipulis reliquit Theodorus Gaza Demetrium, qui hodie praecipit Mediolani magna nominis ac famae celebritate." Idem in Georg. lib v. "Laurentius Medices Piſis ſcholas liberalium artium inſtituit, Florentiae quoque Graecae diſciplinae, Demetrio viro doctiſſimo adcerſito."

A Stephano Nigro Cremonenſi profeſſore Mediolanenſi, cujus fuerat praeceptor, introducitur tanquam praecipuus interlocutorum in dialogo

logo De Graeciae antiquitatibus : a quo passim magnifice laudatur. " Immo ne patrium
" quidem solum mutandum, si Stephani Nigri
" praeceptoris nostri judicium, haudquaquam in
" hac praesertim re contemnendum, sequi (ut
" par est) voluerimus. Ipse enim (ut credo
" vos meminisse) quatuor consuevit viros quam
" saepissime sua oratione celebrare, quos inter
" utriusque literaturae peritissimos principatum
" facile obtinere ingenue fatebatur, Demetrium
" scilicet Chalcondylem praeceptorem suum,
" qui jam diu in hac nostra inclyta civitate
" publico conductus stipendio Graecas docet li-
" teras : Joannem Lascarim, qui nunc Venetiis
" honorificentissime regium agit legatum : Mar-
" cum Musurum Cretem, qui Patavii publice
" profitetur : Aldum Romanum, cujus opera
" ac studio respublica literaria plurimum adau-
" cta est : Demetrium tamen Chalcondylem
" caeteris, cum aetate, ac rerum usu, tum vel
" maxime doctrinarum orbe praeferebat.——
" Quid mihi Demetrii humanitatem praedicas ?
" quem omnes tam Latini quam Graeci, qui
" ejus consuetudine usi sunt, humanissimum,
" doctissimum, prudentissimum, continentissi-
" mumque praedicare nunquam desistunt. Non-
" ne Stephanus Niger praeceptor noster, qui ei
" tot annos assiduam operam dedit, quique sem-
" per inter intimos ejus familiares extitit, tan-
" tam eruditionem, tantam frugalitatem, tam
" candidos mores, ut aetatis nostrae mortalium
" nemini postponendus videatur. Ad eum tan-
" quam ad alterum nostri temporis Socratem
" proficiscamur.——Scias tibi quam brevissima

" opus

"opus esse oratione: est enim Laconicae orationis quam studiosissimus—Nam et natione Graecus es (ait ad eum interlocutorum alius) et ea familia ortus, eo praeceptore a crepundiis institutus, iis exornatus disciplinis, ea Graecarum ac Latinarum rerum cognitione praeditus, ut, etc."——Subdit Stephanus Niger in erratis dialogi sui typographicis, scribendum esse non Chalcondylus, sed Chalcondyles.

Janus Parrhasius, ipsius gener, in quaesitis per epistolas sylloge III. ep. VII. ad Augustum Baldum Patavinum: "Cum Demetrium (inquit) Chalcondylem secundum Deum parentemque colas, ab eoque plus eruditionis in ipsis tuis pene laribus hausisse te praedices, quam a caeteris omnibus in ipsa Graecia, meque tum in soceri honorem, tum mea in te impulsus observantia diligas," etc. Idem syllog. VI. ep. XXXVI. ad Georgium Trissinum: "Praedicantem Demetrium socerum (qui tam falli nescit quam mentiri) virum minime blandum, saepe audivi, neminem ex ejus auditoribus adeo brevi tantum profecisse." Rursus syllog. IV. variarum annot. "Suffragatur huic opinioni Demetrius Chalcocondyles, ut Atheniensis et Graecus homo doctissimus, et quem Gazae discipulum studiorumque successorem possis agnoscere."

Joannes Manardus in epistolis medicinalibus [a] "Demetrii Chalcondyli viri doctissimi et integerrimi."

Gyraldus de poetis sui tem. l. II. "Em. Chrysolorae carmina nulla me legisse memini,

[a] L. I. Ep. 2.

"sicuti

" ſicuti nec Demetrii Chalcondyli viri profecto " in interpretandis auctoribus celeberrimi: cu- " jus et Grammaticae liber extat, ejuſque non- " nullae epiſtolae."

Ficino dicitur Demetrius Atticus; in libro VI. De immortalitate animorum, cap. I. his verbis: " Id vero non mihi ſolum videtur, ſed etiam " cum ſuperioribus diebus apud Bernardum " Bembum tuum, clariſſimum equitem, at- " que hoc tempore Veneti ſenatus oratorem, " convivio diſcumberemus, meminiſti (ut ar- " bitror) idem Antonio Chronico Veneto, ac " Demetrio Attico diſputatoribus argutiſſimis " viſum fuiſſe," etc.

Joannes Streler Germanus epiſt. ad Reuchlinum data Florentiae: " Dominus Demetrius " nunc Mediolani legit: quem habituri ſimus " hic, qui Graece legat, poſtea ſignificabo."

De illius inſtitutionibus grammaticis Eraſmus in praef. Grammaticae Gazae. " Hoc erroris " Demetrio imputant Chalcondylo, viro tum " probo, tum erudito: ſed cujus mediocritas " exactum illud ac ſublime Theodori judicium " haudquaquam aſſequi potuerit."

Melchiori vero Volmario, Grammatico eruditiſſimo, uſque adeo placuere Demetrii inſtitutiones, ut in earum editione ſua, mire utiles eſſe Graece initiandis in ipſo titulo affirmet, et tantum ei tribuit, ut ad eum unum facile in hoc genere palmam deferret. Et Petri Daneſii judicium fuit, " non ullum eſſe Graece initi- " andis autorem perinde accommodum."

Ut Volmarius has inſtitutiones ederet, Budaeus

daeus auctor fuit. Fallitur vero Ger. [b] Vossius, cum dicit Volmarium primum eas publici juris fecisse. Habemus in bibl. Bodleiana editionem Volmariana illa longe vetustiorem, absque ulla vel anni vel loci adnotatione.

" Uxor [c] Demetrii virili industria familiam " regebat, ipso sene et literarum studiis occu- " pato: sed ea libertas in mire foecunda uxore " dubiam pudicitiae famam fecit: quanquam " tres filii ipsam veri patris effigiem ore Graeco " penitus referrent."

Theophilus natu maximus in Graecis a patre, in Latinis a Jano Parrhasio, in utrisque a Jano Lascari institutus fuit: juvenis indole clara, sed, juxta Jovium, turbulentus, qui subdit illum cum Ticini Homerum profiteretur, nocturno et petulanti certamine confossum interiisse paulo ante obitum patris, qui nihil de interitu ejus, occultante matre, didicerat.

Faventius de eo Pierius Valerianus: " Ex " maribus Theophilum ingenio et eruditione " praestantem habuit Demetrius, qui quo spei " majoris esse coeperat, eo acerbiorem patris " luctum fecit. Sub doctissimo enim patre, " mox et sub Joanne Lascare, cujus et contu- " bernio et clientela perquamdiu usus fuerat, " multum profecerat; Graecisque et Latinis lit- " teris apprime eruditus erat. Profectus hinc " Papiam ad altiores disciplinas magnam de se " concitarat expectationem, cum nocte quadam, " dum apud amicos coenatus domum se re-

[b] De arte Gram. l. 1. [c] Jovius.

" cipit,

" cipit, ab iis, qui alienae virtuti invidebant, " interfectus eſt."

Huc ſpectat illud incerti:

Vivens corona nobilis juventutis
Circundabaris undequaque, Demetri,
Dum oſtenderes iter per Atticos campos.
Certe beatus, ſi obtigiſſet morienti
Doctam videre tibi ſuperſtitem prolem:
Oculumque claudi languidum a tuis natis,
Aut hoc ſepulchrum lachryma illorum ſpargi.

Laudes ejus habes apud Janum Parrhaſium, qui teſtatur ſe Demetrii filios pro ſuis educaſſe; oratione ante praelectionem epiſt. Cic. ad Atticum: " Demetrii ſoceri filios pro meis educa-" bam, nec alio proſequebar affectu quam ſi " ipſe genuiſſem: crebro concinens illud Appii, " Suae quiſque fortunae faber eſt. Offendit " hoc, ut apparet, immitem deam: initaque de-" nuo nocendi via, proh facinus, in medio ſtu-" diorum curſu Theophilo manus injecit, eo-" rum quos aſciveram natu maximo, philoſo-" phiae jam candidato, quodque difficulter ali-" qui credent, ipſi Demetrio patri jam tum fere " aequando. In quo tantum probitatis, erudi-" tionis, ingenii, induſtriae, ſtudii, memoriae " denique fuit, ut breviſſimo ſpatio omnia vitae " munera peregiſſe videretur."

Baſilius Chalcondyles, mira [c] ingenii indole, evocante Leone X. pontifice, ut in Gymnaſio Romano juventutem doceret, paucis menſibus ex lenta febre contabuit. Patris ſui in Graecis

[c] Jovius.

diſci-

discipulus fuerat Basilius; Parrhasii in Latinis; in utrisque Jani Lascaris; perinde ac alter Theophilus. Mortem ejus his verbis deflet Parrhasius: " [d] O male vivacem senectutem meam! " Quo me nunc vertam miser? ad quem confugiam? cujus judició posthac utar? cui " pectoris intima committam? quando non " modo T. Phaedrum, cujus humanitate, prudentia, amore, fide recreabar: sed etiam " (quod scelus!) uxoris meae fratrem Basilium " mors fortunae satelles eripuit, illius quoque " calamitatis solatio suffecturum, mihique non " minus ob alia charissimum quam quod affinis: quippe quem corporis et animi praeclarissimae dotes, emendatissimi mores, ingenium praecox, acre, varium, flexibile, multiplex, etiam vobis omnibus commendabat: " a quo sic utriusque linguae proprietas exprimebatur, ut utramcunque attingeret, ad eam " demum natus appareret. O fragilem conditionis humanae sortem! Decessit in primo " flore aetatis egregius adolescens, posteritati " plurimum profuturus, si virtutes ejus ematuruissent, si, quae prius a Demetrio patre, " quem nulla homine libero digna latuit disciplina, si quae mox apud Janum Lascarim, " humanarum divinarumque rerum scientia nemini secundum, plenis faucibus hauserat, aliquando promere potuisset, ut non injuria " Theophrastus moriens accusasse naturam dicatur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum nihil interesset; hominibus,

[d] Praelect. cit.

" quorum

" quorum maxime interfuiſſet, exiguam vitam
" dediſſet. Nam ſi Baſilio paulo longinquior
" aetas acceſſiſſet, O quot ingenii foetus edi-
" diſſet; cum vix a ferula abducta manu, prae-
" ter aſſiduas auctorum Graecorum ſolerteſque
" expoſitiones, Hannibalis Romanorumque res
" in Hiſpania ac Italia geſtas, ab Appiano ſe-
" cretis operibus illuſtratas, Latii jure nondum
" donatas, adeo luculenter atque ſententiarum
" fide verborumque ſplendore tranſtulit, ut un-
" decunque doctiſſimum Leonem X. admiratio
" legentem ſubierit ?"

Ejuſdem Parrhaſii epiſtola quaedam ad eum extat, quae eſt numero XXVII. ſyllogae quartae, ubi haec leguntur: " Laudo propoſitum tuum,
" quod quae ſalebroſa tibi videntur, in Graecis
" ad patrem, in Latinis ad me refers; in
" utriſque ad ornatiſſimum virum Laſcarin.
" Gloriari ſane merito potes, abs te deprehen-
" ſum latentem in herba anguem, quam ſuſpe-
" ctam nemo habuit. Animadvertiſti pene puer
" ineptum ſenſum (apud Juvenalem)" etc.

Pierius Valerianus: " Theophili germanus
" frater Baſilius Chalcondyles ſumma et ipſe
" Graecarum Latinarumque litterarum erudi-
" tione, ſed longe majoris ſpei juvenis, vix quar-
" tum et vigeſimum aetatis annum agens, cum
" ſumma omnium admiratione Graecas litteras
" in Romano gymnaſio profiteretur, rapidiſſima
" correptus febri florentiſſima in aetate defun-
" ctus eſt magnus ille nimirum futurus, niſi
" fata tantillum id felicitatis everſae jam tum
" Graeciae ſine regnis, ſine republica ulla, ſine
" viris propemodum, invidiſſent. Hoc enim

R " erepto

" erepto, et Muſuro ſublato, vix unus tantum Joannes Laſcares eſt ſuperſtes, qui literati nomen inter Graecos obtineat."

Seleucus Demetrii filius natu minimus ad pubertatem non acceſſit.

Filiam [e] incomparabilis honeſtatis Jano Parrhaſio in matrimonium collocavit, quam demum poſt aliquam annorum ſeriem, eo jam mortuo, Leo pontifex maximus conducto Jano, ut Romae profiteretur, ipſemet auctoritate ſua Romam traduci juſſit.

Inter alios diſcipulos doctiſſimos, reliquit Demetrius Benedictum Jovium Novocomenſem Pauli Jovii fratrem, quem nunquam patria pedem extuliſſe refert Paulus, niſi ut Mediolani Demetrium Graece profitentem pronunciationis cauſa audiret, quum jam linguam nullo praeeunte magiſtro didiciſſet.

[e] Pier. Valer.

CAP.

CAP. III.

De JOANNE ANDRONICO CALLISTO, TRANQUILLO ANDRONICO, ANDRONICO CONTOBLACA, GEORGIO HERMONYMO CHARITONYMO CHRISTONYMO, JOANNE POLONE.

ROMAE primum, deinde Florentiae (ante Demetrium Chalcondylem) postremo (ut videtur) Ferrariae, profitebatur JOANNES ANDRONICUS CALLISTUS, Thessalonicensis, philosophus Peripateticus, vir in literis Graecis ipsi Theodoro Gazàe aut par aut etiam superior habitus. Florentiae viros clarissimos Angelum Politianum, Janum Pannonium, Georgium Vallam, aliosque complures discipulos habuit. Italia tandem post multos annos derelicta, in Galliam se contulit, ubi paulo post obiit admodum senex.

Unus omnium illorum, qui de Graecis istorum temporum eruditis scripsere, Raphael Volaterranus illius mentionem fecit, his scil. verbis: " Andronicus Thessalonicensis praeceptor in " Graeca disciplina secundum Theodorum ha- " bebatur, forte et lingua patria superior. Nam " unus omnes ejus sermonis autores evolverat: " ac scientiam, quam Cyclicam vocant, prae- " terea Aristotelicam omnem disciplinam, probe

 " tenebat.

" tenebat. Romae apud Nicenum vivebat, " profitebaturque, non pari quidem virtuti e- " molumento. Quapropter, ſicuti plerique alii " ejus generis, coactus eſt egeſtate urbem de- " ſerere, Florentiamque ſe conferre, ubi magno " diſcipulorum concurſu, inter quos Politianus " fuit, aliquot annos profeſſus, demum in Gal- " liam Comatam penetravit, dum ibi majora " ſperat emolumenta: ubi parvo poſt tempore " cum eſſet jam magnopere ſenex, morbo ex- " tinctus eſt. Fuit alioquin pronuntiatione in- " eptus, et qui praeter ſtudium literarum nihil " omnino rerum gereret."

Meminit illius, tanquam ſui praeceptoris, publiceque Ariſtotelis philoſophiam, Homerum, atque Demoſthenem Florentiae enarrantis, Janus Pannonius carmine ad Bartholomaeum Fontium:

Rurſus in Andronici doctum me confero ludum,
  Qui tumidi nodos laxat Ariſtotelis:
Smyrnaeique docet jocunda poemata vatis;
  Jam populat Graios Dardana flamma vates.
Fulminei poſthaec aperit Demoſthenis artem,
  Aequiparat noſtri quem Ciceronis opus.

Memoratur a Pontico Virunnio tanquam Gazae amicus, et Georgii Vallae praeceptor.

A Joanne Frea noſtrate, qui in Italia tum literis humanioribus operam navabat, in epiſtola quadam MS. ad Ludovicum de Carbonibus (Ferrarienſem) his laudibus exornatur: " Ad " vos proficiſcitur doctiſſimus vir Andronicus " Graecus. Eſt ſane in Graeca literatura adeo " excellens, ut mea quidem ſententia nemini

" hac

" hac nostra aetate cedat, ne tuo quidem, ut
" bona venia dicam, Theodoro. Est praeterea
" modesto ingenio suavique et suae gentis vitio
" maxime alieno. Hunc igitur velim ample-
" ctaris ὡς τὸν φίλον φίλτατον, et eo magis ὅτι
" ἐμὸς καταθύμιός ἐστι.———Tu fac sine tuis
" ad nos literis Andronicus non redeat."

Nominatur Joannes Andronicus Byzantius a Francino Varchiense in epistola nuncupatoria ad Thomam Linacrum praefixa J. Pollucis Onomastico Florentiae ed. MDXX. " Floruerunt
" nostra aetate Florentiae bonae disciplinae:
" cujus rei testes sunt-----Emanuel Chrysoloras,
" Jo. Argyropylus, Joannes Andronicus Byzan-
" tius, Demetrius Atheniensis, summa doctrina
" viri, Florentiam ad publicam lectionem ho-
" nesta mercede conducti."

Ei cognomentum fuisse Callisto, intelligimus ex epistola Francisci Philelphi ad Pallantem Strozam data cal. Jan. MCCCCLXI. " Quod
" me secundo loco ad scribendum hortatur, est
" quorundam librorum desiderium. Agit enim
" istic apud vos Andronicus Callistus noster vir
" disertus et doctus. Isti autem esse audio
" τὸν Παλαίφατον περὶ παλαιῶν ἱστοριῶν καὶ τὸν Ρω-
" μαῖον Κορνοῦτον περὶ ἀλληγοριῶν, ἔτι δὲ καὶ τὸν
" Σύγκελον γραμματικόν. Peto igitur abs te ma-
" jorem in modum, ut eos libros aut nobis ex-
" scribi cures mea impensa, aut ad nos ire,
" qui hic exscribantur, redituri ad dominum
" quamprimum." Idem in alia ejusdem anni ad eundem epistola: " De libris quid respon-
" derit Andronicus Callistus, ex tuis literis di-
" dici. Velim ex eo certior fias, apud quem

 " ejusmodi

" ejusmodi libri hospitentur, apud Laurum
" Quirinum, an apud alium quendam. Ad
" haec audio Andronico isti esse Apollonium
" Gram. περὶ συντάξεως ῥημάτων." Ferrariae tum vitam egit Pallas ille Stroza, ad quem scribit Philelphus, etsi civitate Florentinus, a Cosmi Medicis factione in exilium actus: atque inde cognoscimus Andronicum nostrum tum Ferrariae fuisse versatum. Sed inde rursus Florentiam videtur rediisse. Nam aliter fieri vix potuit, ut Angeli Politiani praeceptor esset, qui natus est an. MCCCCLIV.

Cognominatur etiam Callistus in titulis scriptorum aliquot suorum, quae in voluminibus MSS. asservantur. Servatur enim in bibliotheca regia Paris. Graece Andronici Callisti monodia de misera Constantinopoli. Ibidem in cod. 955. Andronici Callisti ad Georgium Palaeologum epistola. In cod. 1769. Andronici Callisti Peripatetici tractatus De physica scientia et fortuna. In alio cod. ejusdem Divisio physicae. Rursus, Andronicus Peripateticus De passionibus animae, de discendi cupiditate, de virtute, de divisione. Apud nos in cod. Laud. C. 90. quod exemplar transcriptum est ex Isaaci Casauboni; Ανδρονίκου Περιπατητικοῦ περὶ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν. In indice quoque bibliothecae Scorialensis occurrit Andronicus Peripateticus De virtute.

Andronici Callisti epistola ad Nicolaum Segundinum Graeca servatur in bibl. Augustana.

Nicolai Secundini ad Andronicum de Michaelis Apostolii adversus Theodorum Gazam libello, Viterbii scripto MCCCCLXII. habetur

in

in bibliotheca Vaticana inter codices Heidelbergenſes.

Beſſarionis card. epiſtola ad Andronicum Calliſtum Philoſophum habetur Graece in bibl. reg. Pariſ.

Tractatulum ejus De paſſionibus inſcriptum, Ἀνδρονίκȣ φιλοσόφȣ Περιπατητικȣ̃ περὶ παθῶν, a Marco Margunio Cytherorum epiſcopo acceptum, et collatum cum alio exemplari ex Hiſpania ab Andrea Schotto allato, edidit David Hoeſchelius anno MDXCIII (rurſuſque MDCXVII.) ſub falſo titulo Andronici Rhodii, Peripatetici philoſophi; exiſtimans illum eundem fuiſſe cum antiquo Andronico Peripatetico. Quem errorem vidit Ger. Voſſius [a], hunc Rhodium fuiſſe juniorem perſentiens. Sed nec Voſſius, quo tempore hic noſter vixerit, quicquam habuit comperti. Eodem modo (ne quis inde forte fallatur) erratur in indice codicum MSS. bibl. Bodleianae nuper impreſſo, ubi dicitur Andronicus Rhodius Peripateticus: cum tamen in ipſo exemplari (Laudino praefato) nominatur tantum Andronicus Peripateticus.

Ejuſdem eſſe exiſtimo libellum De virtutibus et vitiis, quem ſub incerto nomine tractatui De paſſionibus antedicto ſubjecit Hoeſchelius.

Andronici ſcholia Graeca in Homerum Venetiis reſervari in bibliotheca S. Joannis et Pauli monet Geſnerus: quem Andronicum ille exiſtimat eundem fuiſſe cum M. Popilio Andronico, Grammatico vetere, cujus meminit Tranquillus. Eum vero mihi facile perſuadeo non alium

[a] De philoſophia, c. 5.

fuiſſe quam Andronicum hunc Calliſtum, quem quidem Homerum publice enarraſſe teſtatur Janus Pannonius.

Naudaeus in additamentis ad hiſtoriam Ludovici XI. Galliarum regis, meminit TRANQUILLI ANDRONICI DALMATAE, qui Pariſiis ante Joannem Laſcarim, ſed poſt Georgium Hermonymum, ſub Ludovico XI. rege, linguam Graecam ſtipendio publico profeſſus ſit. Utrum iſte, quem Tranquillum Andronicum Dalmatam nuncupat Naudaeus, revera idem fuerit cum Joanne Andronico Calliſto (de quo diximus) Theſſalonicenſi, quem teſtatur Volaterranus in Galliam ſeceſſiſſe, ibique brevi poſt fuiſſe defunctum, viderint academici Pariſienſes.

Eiſdem temporibus in Germaniam venit Baſileaeque privatim linguam Graecam docuit ANDRONICUS alius (ſi modo a Dalmata alius) CONTOBLACA cognominatus; cujus extat Latina ad Joannem Reuchlinum Phorcenſem epiſtola data Baſ. MCCCCLXXVII. quae ſic ſe habet:

Andronicus Contoblaca natione Graecus, utriuſque linguae peritus, Jo. Reuchlin Phorcenſis S. D. P.

TUUM modo ingenium literarumque Graecarum experti doctrinam, magnopere optamus atque hortamur, ut alios Graecas literas edoceas, quod multum conducet, nam non ſolum tibi id muneris prodeſſe, ſed etiam audientibus honori fore arbitramur. Quare tua doctrina atque noſtra auctoritate fretus literas Graecas

Graecas audire volentes erudias, ut et ipſi doctiores indies evadant, et tu ipſe in legendis autoribus clarior ac venuſtior ſis. Vale.

Ante Tranquillum Andronicum, anno MCCCCLXXVI. in Gallia conſedit, Pariſiiſque primus omnium Graecorum literas Graecas publice profeſſus eſt Georgius Hermonymus Charitonymus Christonymus, Spartanus. Primus omnium inquam Graecorum. Non omnium hominum primus. Nam ante illum eaſdem ibidem literas profiteri primus omnium coeperat Lilius Gregorius Tiphernas, Emanuelis Chryſolorae diſcipulus, quem male Naudaeus in numero Graecorum reponit. Adveniens iſte ex Italia, patria ſua, ubi jam diu profeſſus fuerat, Pariſios ad rectorem academiae accedebat, operamque ſuam offerebat in docenda lingua Graeca, ac ſtipendium ſibi tribui poſtulabat, juxta decretum concilii Viennenſis, quo ſancitur, ut profeſſores linguarum Graecae, Hebraicae et Arabicae in academiis Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, Salamanticae, et Romanae Curiae, inſtituerentur. Rector, etſi miratus eſt hominis peregrini pauperiſque audaciam, tamen ad concilium referebat. Ibi laudata eſt voluntas Tiphernatis, decretumque ſtipendium, Graeceque docere juſſus eſt. Ita Graeca lingua Pariſios primum invecta eſt; nempe circa an. MCCCCLXXII. Teſtatur Philippus Melanchthon in oratione De ſtudio linguarum habita an. MDXXXIII. Gregorium Typhernatem ante annos LX. veniſſe Pariſios. Et liquet ex epiſtola quadam

dam Jacobi cardinalis Papiensis [b], professum fuisse Tiphernatem anno MCCCCLXXI. non in Gallia, sed Perusiae in Italia.

Naudaei in loco superius citato verba haec sunt: "Gregorius Typhernas primus Graecorum" [hoc male, ut modo monui] "ab expugnata Constantinopoli Lutetiam venit, et sistens se coram rectore academiae dixit sibi in animo esse Graecas literas eadem in academia publice docere studiosos: petiitque eo nomine stipendium, quod a sacris canonibus linguarum magistris decernitur. Hoc vero licet novum atque insolens videretur, in homine praesertim externo et paupere, nihilominus blande exceptus fuit, et praemium industriae suae tulit adeo eximium, ut Hieronymus" [hoc perperam] "Hermonymus Spartiata, Tranquillus Andronicus Dalmata, et Janus Lascaris, illi quidem regnante Ludovico XI. hic vero dum Carolus VIII. rerum potiretur, Lutetiam accedere postea, idemque sibi munus deposcere non dubitarint," etc. A discipulis quibusdam Gregorii Typhernatis, qui brevi post vel obierat, vel Parisiis recesserat, elementa Graeca Parisiis edoctus est anno MCCCCLXXIII. Johannes Reuchlinns, tum admodum adolescens, primus omnium in Germania linguarum Graecae et Heb. professor publicus; qui post Hermonymi adventum, e patria, quo reversus fuerat, Parisios rediens, Graece illum docentem assecutus est. Et ab eo etiam venuste pingere literarum figuras didicit; qua

[b] Vide supra in Chalcondyle.

industria

induſtria venit in multorum notitiam, et peculium paravit. Petebant enim multi deſcribi ab ipſo grammatica elementa, et paginas Homeri et Iſocratis, qui enarrabantur. Se "anno "MCCCCLXXIII. elementa Graeca Pariſiis ex "diſcipulis Gregorii Typhernatis accepiſſe; et "poſt aliquot annos e Suevia redeuntem ad "Pariſios Georgium Hermonymum Spartiatam "Graece docentem aſſecutum fuiſſe," ſcribit ipſe Reuchlinus epiſtola ad Jacobum Fabrum Stapulenſem. Et rurſus in praefatione rudimentorum Hebraicorum fatetur ſe Hermonymo debere, quod linguae Graece ignarus non eſſet. Extant ad illum Hermonymi epiſtolia duo, alterum Graece, Latine alterum, quod datum eſt Pariſiis MCCCCLXXVIII. Γεώργιος Ερμώνυμος ὁ Σπαρτιάτης Ιωάννῃ Φορκησίῳ εὐπράττειν, etc.

Eum Sixto IV. ante adventum in Galliam, in graviſſimis etiam negotiis inſerviiſſe, ab eoque in Angliam miſſum fuiſſe ad liberandum archiepiſcopum Eboracenſem, indeque veniſſe in Galliam intelligimus ex nota ejuſdemmet Georgii in fine Cointi Smyrnaei ab eodem diligentiſſime exarati, aſſervatique Romae in bibliotheca Barberina; quam edidit Allatius in commentario De Georgiis: Ετελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον ποίησιν περιέχον Κοΐντου Καλαβροῦ, ἐπιστρέψαντός μου ἐξ Αλβιώνης τῆς Βρεττονικῆς νήσου ἐν πόλει τοῦ Παρισίου ἐν τῇ Γαλλίᾳ χειρὶ Γεωργίου Ερμωνύμου, τοῦ Σπαρτιάτου. πεμφθέντος ὑπὸ μεγίστου ἀρχιερέως Σίξτου τετάρτου ἐπ' ἐλευθερίᾳ τοῦ ἀρχιεπισκοποῦ τῆς Ιόρκης ἔτει ἀπὸ Χριστοῦ γεννήσεως αυός. τρίτῃ φθίνοντος ἑκατομβαιῶνος μηνὸς κατ' Ἀθηναίους, ὃν Ιούνιον Ῥωμαΐστὶ καλοῦσιν. *Abſolutus eſt hic liber continens poema Cointi Calabri,*

labri, poſtquam ex Albione Britannica inſula Lutetias in Galliam commeaſſem, manu Georgii Hermonymi Spartiatae, qui a maximo pont. Sixto IV. *miſſus fueram ad liberandum Jorcae archiepiſcopum, anno a Chriſto nato* MCCCCLXXVI. *Hecatombaeonis menſis ſecundum Athenienſes, quem Junium Romani dicunt, die* XXVIII.

Extat Mahumetis vita ab eo Latine e Graeco converſa, excuſa Baſ. MDXLI.

Monodia ejus in Georgii Gemiſti Plethonis obitum ſervatur in bibl. Auguſtana: ubi nominatur Hermonymus Charitonymus.

Charitonymi Chriſtonymi capita X. pro divinitate Chriſti, et Chriſtianae religionis veritate, Graece cum verſione ſua ac notis, ex ipſo auctoris autographo, in bibl. Auguſtana reperto, publici juris fecit Jo. Wegelinus Aug. Vind. MDCXI. Inſcriptio: *Χαριτωνύμου Χριστωνύμου ὀκτώ εἰσι ταῦτα τὰ κεφάλια σὺν ἄλλοις τισὶν ἀποδεικνύντα, ὡς ὁ Χριστός ἐστιν ὑιὸς τοῦ θεοῦ, καὶ θεὸς ἀναντιῤῥήτως καὶ ἀναμφιβόλως, καὶ ὅλως ἀδύνατον.* Erat Chriſtonymus cognomen aliorum apud Graecos ſcriptorum. Manuelis Chriſtonymi tractatus, An virgo deipara honoranda ſit prae cherubinis, ſervatur Pariſiis in cod. reg. MDCLXXXVI. (in catalogo Poſſeviniano maledicitur Manuel Chryſoſtomus.) At vero, hunc eundem fuiſſe cum Hermonymo Charitonymo, demonſtrant haec verba in cod. MS. ſupra titulum notata; *Χαριτώνυμος Χριστώνυμος, ὁ Ἑρμώνυμος.*

Tribuitur ei Latina verſio libelli Gennadii Scholarii patris Conſtantinopolitani, cui tit. Vita ſalutis hominum: ubi perperam, pro Georgio nominatur

nominatur Gregorius Hermonymus Spartanus. Sed iſtius revera tranſlationis auctor fuit

Joannes Polo, de Albo Caſtro, Graecus in Germania eodem ſeculo verſatus, qui eam dicavit Joanni Dalburgio epiſcopo Wormatienſi. Praefigitur illius epiſtola nuncupatoria in haereſeologia ed. Baſ. MDLVI. " Joannes Polo no-" bilis vir de Albo Caſtro, natione Graecus, ex-" celſo principi et domino Joanni epiſcopo Wor-" matienſi, etc. Divina illa humanitas, et im-" mortalia dominationis tuae in me beneficia " cogunt me ut diu noctuque te cogitem, ne " immemor apud Deum hominesve manſuetu-" dinis tuae unquam reperiri poſſim. Et quem-" admodum homines diis thure ſacrificant, ita " ego dominationi tuae in re literaria, quam " ſcio tibi mirifice ſemper ſanctiſſimeque pla-" cuiſſe. Habeas igitur Scholarii patris Con-" ſtantinopolitani opus theologale. Qui qui-" dem vir fuit ſummae religionis, theologicae-" que diſciplinae, noſtro aevo omnium peritiſſi-" mus, a maximo Turcarum imperatore Ma-" humeta olim hortatus, ut cum doctoribus ſa-" cerdotibuſque de nonnullis articulis fidei no-" ſtrae, praecipue de S. Trinitate, publice verba " faceret, ea ſerie illis interrogantibus reſpondit, " quae hoc brevi volumine continentur. Quam " poſtmodum ipſemet, volente imperatore, ſcrip-" turae commiſit, quod tum nuper ex Aſia ab " oratoribus magni Turci (ad te digniſſime " princeps mittendum aeſtimaveram) Graece " ſcriptum delatum eſſet, Latinum feci, tuae-" que dignitati dedicare mihi perſuaſi." Subjicit, ſe patris epiſcopi Wormatienſis, quem laudat

dat a fortitudine, gesta, cum opportunitas dabitur, latius scripturum. In bibliotheca patrum, ubi ejusdem tractatus tralatio reperitur Gregorio Hermonymo Spartano adscripta, omittitur haec Joannis Polonis praefatio. Ab Allatio male nominatur iste Joannes Dola.

Alius ab Hermonymo (utrum etiam a Tranquillo Andronico Dalmata, illius successore, haud dixerim) erat senex iste Graeculus indoctus, a quo Graeca primum rudimenta circa annum MCCCCLXXXXI. Parisiis edoctus est Gulielmus Budaeus. De quo in epistola ad Cuthbertum Tonstallum sic ipse scribit: "Quum annos ab-
" hinc sex et viginti libris, non magistris, ali-
" quo cum successu operam dare coepissem;
" statim Graecum quendam nactus sum senem,
" aut ille me potius: illi enim vectigal magnum
" attuli, qui literas Graecas hactenus, aut paulo
" plus noverat, quatenus sermoni literato cum
" vernaculo convenit. Hic quibus me modis
" torserit, mox dediscenda docendo, nisi quod
" et legere optime, et bene pronunciare scie-
" bat, non bene tribus chartis scriberem, cum
" interim ipse ut unum eum esse Graecum in
" Francia audiebam, sic esse doctissimum Graece
" existimarem, et ille ostendens mihi Home-
" rum, nonnullosque autores famigeratos nun-
" cupans, flagrare me studio insano intelligeret.
" Accedebat illud erroris, quod quae erat in eo
" ignorantia, ego ludificationem esse putabam,
" quo diutius ille me stipendiarium haberet.
" Tandem literis apud nostros paucis annis il-
" lustratis Italiae commercio, librisque sensim
" utriusque linguae advectis, cum ego sarcire
" damnum

" damnum contenderem aetatulae tranſactae
" per inſcitiam ; nec pecuniae in coemundis
" magno libris, nec labori in ediſcendis parce-
" rem, ac quotidianas ſeſquioperas a me plane
" exigerem ; eo primum perveni, ut dediſcere
" inſtituerem, quae male edoctus eram : deinde
" ut ultra praeceptori illi Graeco ne auſcultarem,
" etiamſi ad me ventitabat, libros empturienti
" venditans ac ſcriptitans, quanti ſemel indi-
" caſſet."

CAP.

CAP. IV.

De CONSTANTINO LASCARI.

CIRCA medium ejuſce ſeculi, ſive ſtatim poſt urbem captam, inclareſcere coepit Constantinus Lascaris Byzantinus ſive Conſtantinopolitanus, ex familia Laſcarina imperatoria oriundus, qui primum Mediolani, uſque ad annum mccccLxiii. vel etiam, paulo ultra, poſtea Meſſanae in Sicilia, ſumma cum laude, Graecas literas docuit, adeo ut multi ex Italia et ab uſque Venetiis Meſſanam ſe conferrent dum ibi ageret, ad linguam Graecam edocendam. Meſſanae tandem ſenex defunctus eſt circa exitum ejuſdem ſeculi. Reliquit grammaticam Graecam in libris iii. quorum primus tractat De octo partibus orationis, et editus eſt ſeorſum primum Mediolani mccccLxxvi. poſtea ab Aldo auctore adhuc ſuperſtite, mccccxciv. adjecta e regione ab Aldo interpretatione Latina, hac inſcriptione: "Conſtantini Laſcaris "Erotemata." Ab ipſo vero auctore inſcriptus eſt: "Compendium orationis partium aliorum-"que quorumdam neceſſariorum."

In praefatione Aldi haec leguntur: "Con-"ſtantini Laſcaris viri doctiſſimi inſtitutiones "grammaticas introducendis in literas Graecas "adoleſcentulis quam utiliſſimas, quoddam "quaſi praeludium eſſe ſummis noſtris labori-"bus et impendiis, tantoque apparatui ad im-"primenda Graeca volumina omnis generis, fe-

cit

" cit multitudo eorum qui Graecis erudiri literis
" concupiſcunt, nullae enim extabant impreſſae
" venales, et petebantur a nobis frequenter.----
" Accipite interea, ſtudioſi literarum bonarum,
" Conſtantini Laſcareos rudimenta grammati-
" ces, longe correctiora iis quae impreſſa vi-
" ſuntur. Nam ea Conſtantinus ipſe in locis
" circiter 150 emendavit : quod facile cog-
" noſcet, ſi quis cum hiſce illa conferet.
" Nam deleta quaedam videbit, multa cor-
" recta, plurima addita. Ita vero emendatum
" manu ipſius Conſtantini librum nobis dedere
" commodo Petrus Bembus, et Angelus Gabriel,
" patricii Veneti, adeo nobiles praeſtantique in-
" genio juvenes, qui nuper in inſula Sicilia
" Graecas literas ab eo ipſo Laſcari didicerunt."

Liber ſecundus, qui agit De conſtructione verborum quorundam per genera, ſcriptus eſt et in manus diſcipulorum traditus anno MCCCCLXVI. *Ἔρρωσθε οἱ ἀναγινώσκοντες, καὶ μέμνησθε. Ἐν Μεσσήνῃ τῆς Σικελίας ἐξέδοτο, ἔτει ἀπὸ Θεογονίας χιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ ἑξηκοστῷ ἕκτῳ.*

Tertius, qui eſt De nomine et verbo, ſcriptus eſt Mediolani, primum pars De nomine, deinde De verbo: quem librum addidit Compendio octo partium orationis, anno MCCCCLXIII. id quod ipſe in fine teſtatur. Τὸ *μὲν περὶ ὀνόματος ἐξέδοτο ἐν Μεδιολάνῳ, ἐπὶ Φραγκίσκου Σφορτίου τοῦ ἡγεμόνος, ἀξιώσει Φιλίππου Φερουφίνου καὶ Βαρθολομαίου τοῦ Χάλκου, καὶ Βωνίνου τοῦ Βομβρικίου· οἷς χαριζόμενος, καὶ τοὺς κανόνας τῶν Ῥημάτων προσέθηκα τῇ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου ἐπιτομῇ, τῇ πολλάκις ἐντυπωθείσῃ· οἱ τῇ ὑποθέσει ταύτῃ ἥρμοζον.* Ἔτει *ἀπὸ Θεογονίας χιλ. τετρ. ἑξηκοστῷ τρίτῳ.*

De nomine quidem editum fuit in Mediolano tempestate Francisci Sfortiae ducis, rogatu Philippi Ferufini, et Bartholomaei Chalci, et Bonini Bombricii, quibus gratificatus et regulas verborum addidi octo partium orationis compendio saepenumero impresso, quia argumento huic congruebant: anno a Dei ortu MCCCCLXIII.

Reliquit etiam tractatulum De pronominibus secundum omnem dialectum et poeticum usum, scriptum Mediolani MCCCCLX. Item alium De subscriptis vocalibus, in Messana compositum MCCCCLXX.

Hos omnes libellos, nunquam ante impressos, post mortem auctoris collegit, et una cum compendio octo partium orationis ter ante excuso, adjecta etiam versione Latina, typis suis edidit Aldus; quo anno vero non comparet. Castigatius postea edidit Gaspar Philomusus; rursusque Jo. Oporinus Bas. MDXLVII. Insigniter errat Simlerus cum grammaticam ejus Graecam opusculum diversum facit ab Erotematis dictis: quae primum quidem grammaticae constituunt librum. Edidit (inquit Simlerus) "grammaticae " Graecae opusculum. Item libros tres Erote- " matum."

In Prooemio libellorum simul omnium collectorum Aldus haec habet, ad Angelum Gabrielem patricium Venetum scribens: "Cum " plurimis in rebus novi te plenissimum amoris, " humanitatis, officii, diligentiae, tum praeci- " pue tua in Constantinum Lascarem Byzanti- " num praeceptorem tuum pietate, quem aeque " semper amasti, coluisti, observasti ac patrem. " Nam ex quo Messana, ad quam erudiendi

" gratia

" gratia profectus fueras, rediisti Venetias lin-
" guae Graecae peritissimus, (erat enim eo tem-
" pore Messana studiosis literarum Graecarum
" Athenae alterae propter Constantinum) me
" nunquam destitisti rogare.——Sed illud non
" possum non dolere, non licuisse Constantino
" lucubrationes suas omnes cura nostra impressas
" ante videre, quam e vita discederet. Quod
" si accidisset, visus sibi fuisset superare om-
" nium fortunas." Ab Aldo dicitur alibi vir doctissimus optimusque.

Scripsit praeterea dum Messanae egit, anno MCCCCLXVIII. cum alia quaedam, tum De syntaxi verborum juxta Latinos, quae nunquam typis excusa sunt. Meminit vero ipse in fine libri tertii: Τὸ δὲ περὶ ῥήματος ἐσχεδιάσθη μὲν ἐκεῖ· ἐξέδοτο δὲ ἐνταῦθα ἐν Μεσσήνῃ τῆς Σικελίας, ἔτι καὶ τὸ περὶ συντάξεως τῶν ῥημάτων κατὰ Λατίνους, καὶ ἄλλα τινά· ἔτει χιλ. τετρακ. ἑξηκοστῷ ὀγδόῳ. De verbo *autem scriptum est ibi* (Mediolani:) *editus autem est hic in Messana Siciliae, etiam et* De constructione verborum secundum Latinos, *et nonnulla alia anno* MCCCCLXVIII.

Scripsit idem De philosophis Calabris librum Alphonso regi dicatum. Quod opus citatum reperio a Gabriele Barrio De antiquitatibus Calabriae: — " Constantinus Lascaris in eo libro
" quem ad Alphonsum Arragonium de philo-
" sophis Calabris scripsit."

Illius expositio prophetiae sive vaticinii Chosroae regis Persarum, de imperio Romano, servatur in bibliotheca Vindobonensi.

Epistola quaedam ejus Graece extat in cod. regio Paris. num. 29.

 " Exemplar

" Exemplar Gregorii papae Romani dialogo-
" rum quatuor Graece verſorum, quod in urbe
" Siciliae Meſſana Conſtantinus Laſcaris emit,
" manuque ſupplevit ſua, anno MCCCCXC,"
memoratur apud Poſſevinum in catalogo bibl. Auguſtanae. Meminit illius Raphael Volaterranus Anthropologiae libro XXI. " Conſtantinus
" patria Conſtantinopolitanus Meſſanae docuit:
" ubi jam ſenex proximis annis extinctus eſt.
" Parvum grammaticae Graecae opuſculum edi-
" dit, quam in primis profitebatur, magnaeque
" ſcholae par admodum fuit, ac Siculis magno-
" pere ſatisfecit." Cum parvum grammaticae Graecae opuſculum vocat, videatur vidiſſe tantum librum primum ante caeteros ſeorſum editum.

Gyraldus De poetis ſui temp. dial. poſter.
" Nunc Laſchares duos commemorabo, quo-
" rum alter Janus Laſchares Rhindacenus fuit,
" alter Conſtantinus Byzantius.——Fuerat et
" eodem pene Jani tempore Conſtantinus Laſ-
" chares, eo ſenior, Byzantius, cujus licet car-
" mina non legantur, dignus eſt tamen ut in
" hoc loco ejus meminerimus, nam et ejus le-
" guntur Inſtitutiones grammaticae perutiles
" Graece ſcire volentibus. Sed et Bembus no-
" ſter, cum ejus in Sicilia Meſſenae diſcipulus
" fuiſſet, plerumque aſſerere ſolebat Conſtanti-
" num non modo ſoluta oratione, verum et
" carmine, plurimum valuiſſe, idque veriſimile
" videtur, cum facilius carmina Graece ſcri-
" bantur quam Latine."

Grammaticam ejus omnibus aliis, praeter
unam

unam Gazae, praetulit Erafmus. " [a] Inter Grae-
" cos grammaticos (inquit) nemo non primum
" locum tribuit Theodoro Gazae, proximum
" mea fententia Conft. Lafcaris fibi jure fuo
" vendicat."

Magni quoque illam feciffe Budaeus dicitur.

Ludovicus Vives [b] obfervat " Lafcarin cona-
" tum effe reducere verba Graeca ad quinque
" illa genera et formulas verborum Latinorum,
" prolixe et parum apte.

Idem alibi [c] illum perperam confundit cum Joanne Lafcari, hunc faciens auctorem grammaticae iftius Graecae. " In Graecis (inquit)
" Herodianus, Tryphonius, et qui patrum me-
" moria Graecas literas in Italiam invexit, Chry-
" foloras et Joannes Lafcaris."

Latinam illius grammaticae tranflationem, quae e regione ab Aldo adjecta eft, his verbis damnat Melchior Volmarius [d]: " Quod fi Laf-
" fcarim objicias, tantum efficit e regione Graeci
" fermonis vulgaris et ad verbum, pene dixe-
" rim, inepta tralatio ifta, ut huic adhaerentes
" lectorem pariter et autorem cum magno ip-
" forum difpendio auditores faftidiant."

Scipionis Carteromachi verfus in ejus Grammaticam.

Τὴν Κωνσαντίνοιο μαθὼν πολυειδέα τέχνην
  Ὄρσεο γραμματικῆς καὶ σὺ Λατῖν' ἐς ἄκρον.
Οὐ νέμεσις παῖδας γλώσσῃ πάλαι ἀμφὶ ποιητὰς
  Τὸν σοφὸν Ἑλλάδων κοινὰ γονῆα ποιεῖν.

[a] De ratione ftudii. [b] De ratione ftudii puerilis.
[c] De tradendis difcipl. l. 3. [d] Praef. in gram. Chalcondylis.

Quos ad verbum ſic vertit Aldus :

Conſtantini ediſcens multiformem artem
Age grammaticae et tu Latine in ſummum.
Non reprehenſio, filios linguae circa adoptatos
Doctum Graecorum communem parentem laborare.

CAP.

CAP. V.

De JOANNE LASCARI.

Constantini filius fuit JOANNES ANDREAS LASCARIS (vulgo JANUS LASCARIS vel LASCARES) si credimus auctori additamentorum chronici Jacobi Philippi Bergomatis Parisiis editorum MDXXXV. Neque aetas repugnat. Et facile praeterea scriptori isti innotescere id poterat, quandoquidem tunc temporis, cum edita sunt illa additamenta, Parisiis egit Angelus Lascaris Joannis ipsius filius. Mihi error tamen videtur, hoc argumento, quod constet Gyraldum, qui utriusque Constantini simul et Joannis, meminit, de eo secus sensisse. Quin et Aldus Manutius, in epistola ad Joannem nuncupatoria Rhetoribus Graecis praefixa, ubi multis verbis laudes ejus persequitur, partim a doctrina, partim quod ex stirpe imperatoria Lascareorum ortus fuit, de Constantino Lascare ne verbulum habet, cum tamen de eo, cujus grammaticam non sine magna laude ipse ante ediderat, si ipsius filius fuisset Joannes, silentium agere vix aut ne vix quidem potuit. De Jovii silentio nihil dico: nam dubium est, utrum ille de Constantino Lascare quicquam unquam inaudiverat.

Byzantinus passim dicitur Constantinus Lascaris, cum ab aliis passim, tum etiam a seipso in Grammaticae inscriptione. Rhyndacenus vero dicitur Joannes, non modo ab aliis vulgo, verum etiam a seipso in epistola ad Budaeum,

S 4 ubi

ubi nomen suum sic subscribit: Ἰάνος Λάσκαρις ὁ Ρυνδακηνός. At vero a Jano Parrasio, in epistolae ad Joannem inscriptione, dicitur quoque ipse Byzantinus; —— Nempe genere Byzantinus, natu Rhyndacenus fuit.

In Italiam concedens, sive e Graecia, sive e Sicilia, Joannes Lascaris, versatus est primum Florentiae, ubi ejus ope utebatur Laurentius Medices in construenda illa nobili sua bibliotheca, cujus etiam causa eum per universam Graeciam, et Asiam, insulasque, uti scribit Gyraldus, mittebat ad conquirendos quosque optimos codices, quos pecunia redemptos habere posset. Apud Jovium legimus illum a Laurentio Medice, cui nihil antiquius unquam fuit, quam ingenia liberali beneficio devinxisse, exceptum fuisse, et ab eo ad conquirenda volumina Byzantium cum legatione ad Bajazetem (ejus nominis secundum) bis missum: Nec honesta petenti defuisse unquam barbarum imperatorem: quippe qui erat totius philosophiae studiosus, Averroisque sectator eximius: et de Laurentio privatim tanquam de illustri cultore virtutis optime sentiret, cum paulo ante Baudinum percussorem fratris fuga in Asiam elapsum in catenis ad supplicium tradidisset: Itaque Lascarem tuto abdita Graeciae perscrutatum, cum patriae opes victoribus cessissent, nobiliora divitiis antiquae dignitatis volumina collegisse, ut in Italia servarentur.

Ejusdem rei meminit Marsilius Ficinus in epistola anni MCCCCXCII. unde illum intelligimus e Graecia una cum libris fuisse reversum post Laurentii obitum, quando Petrus illius filius res Florentinorum gubernaret. Ad

Ad Martinum Uraniam Germanum.

POST difceffum ex Italia tuum advecti funt e Graecia mox ad magnanimum Petrum Medicem libri multi ex quam plurimis electi, nuper electore Lafcari Graeco admodum elegante, pro regia illa bibliotheca jampridem a magno Laurentio feliciter inftituta. Ego autem inter multa (ut foleo) femper in primis legi Platonica, primaque inter haec commentaria Procli in fex Platonis de rep. libros principiumque feptimi.

Aldus Manutius in praef. oratorum Graecorum ed. MDXIII. " Quas plerique horum " fcripferunt orationes, multis feculis abditae " latuerunt. Latebant autem in Atho Thraciae monte. Eas Lafcaris is, qui abhinc " quinquennium pro Chriftianiffimo rege Venetiis fumma cum laude legatum agebat, " doctiffimus et ad unguem factus homo, in " Italiam reportavit. Miferat enim ipfum Laurentius ille Medices in Graeciam ad inquirendos fimul et quantovis emendos pretio " bonos libros. Unde Florentiam et cum iis " ipfis orationibus, et cum aliis, tum raris tum " pretiofis voluminibus rediit."

Dum Florentiae fub Laurentio egit, primus edidit anno MCCCCLXXXIV. epigrammatum Graecorum volumen, literis antiquis, uti inquit Gyraldus, excufum cum fua epiftola eruditiffima ad Petrum Medicem. Volumen epigrammatum Graecorum pervetuftum, fine vel loci vel temporis notatione, literis uncialibus, five (ut

(ut vocant) capitalibus, oppido eleganter impressum, in bibliotheca vidi Bodleiana, quam existimo fuisse illius editionem: sed cui deest tamen epistola ad Petrum Medicem nuncupatoria.

Ad eundem Petrum Medicem scripsit tractatulum De veris Graecarum literarum formis ac causis apud antiquos, ut ex fine apparet. "Et "haec quidem attigisse de veterrimis literarum "figuris non abs re visum est, Petre Medices, "cum tibi ante omnia rem gratam facturum "me esse existimaverim, antiquitati summopere "dedito."

Ad illum, dum Florentiae, sub Laurentio Medice egit, scriptum est hoc carmen a Marullo:

Jane, vatis amor tui,
  Unus qui patria tam procul a domo
Secessu frueris tamen,
  Et contentus humo vivis in hospita.
Felix, quem neque turbidi
  Bellorum strepitus, nec creperae vices
Terrent, et gravis alea
  Fortunae, indocilis stare loco diu;
Sed sacri medius chori
  Musarum, facili pectore despicis
Prave quae populus nocens
  Miramur, etc.

Post Petrum ejectum, totamque Mediceorum familiam, quod contigit anno MCCCCXCIV. se recepit ad Carolum VIII. Galliarum regem, eumque, benigne exceptus, in bello Italico, posteaque in Galliam redeuntem, comitatus est; et Carolo brevi post morte subrepto, in comitatu Ludovici XII. permansit. Si fides Naudaeo,

daeo[a], Parisios sub Carolo VIII. accedens, salario publico literas Graecas professus est: quod tamen haud convenit cum Budaei narratione; quae innuit illum in regum comitatu, non in academia, fuisse versatum, et tantum privatim Budaeo ipsi Graece, idque raro, praelegisse.

In epistola ad Cutbertum Tonstallum de se ab eo Graece erudito sic loquitur Budaeus: "Romam bis adii, urbesque insignes Italiae, "doctos ubi homines per transennam vidi "potius quam audivi, et literarum meliorum "professores tanquam a limine salutavi, quan-"tum scil. homini licuit Italiam raptim per-"agranti; nec libera legatione, sed et domi "nonnunquam doctorum hominum familiari-"tate usus sum. In queis praecipue colui Jo-"annem Lascarim, virum Graecum, utraque "lingua pereruditum, qui nunc in urbe Grae-"corum scholae praefectus est a pontifice: is "quum omnia causa mea curaret, non mag-"nopere juvare me potuit, quum ageret fere in "comitatu regis multis ab hac urbe millibus "distractus, et ego frequens in urbe, raro in "comitatu fuerim: fecit libens id demum "quod potuit, ut et nonnunquam praesens "mihi aliquid praelegeret, id quod vicies non "contigit, et absens librorum scrinia concre-"deret, et penes me deponeret.

A rege Ludovico ad civitates Italicas quae ipsi fuerant foedere conjuncti legatus missus est ad animos eorum roborandos. Et anno de-

[a] Vide supra in Hermonymo.

mum

mum MDIII. ab eodem ad rempublicam Venetorum legationis nomine miſſus, ibi multos annos eo munere fungebatur. Nonnulloſque Graece erudiebat, inter alios Germanum Brixium Pariſienſem, qui in epiſtola ad Eraſmum ſcripta an. MDXVI. haec habet: "Memo-"riam pauliſper refricemus conſuetudinis illius "atque amicitiae veteris, quae nobiſcum olim "Venetiis interceſſit, dum ego ſub Jano Laſ-"care meo (cum dico, meo, praeceptorem, ac "veluti parentem optimum intelligo) vixdum "Latinis literis initiatus, Graecis operam na-"vare auſpicarer: tu in aedibus Aldi Manutii, "ſingularis etiam tum eruditionis tuae, tum "Graecae tum Latinae, egregia illa atque in-"culpata ſpecimina diis hominibuſque plau-"dentibus praeberes. Inter quae extant pro-"verbiorum chiliades quatuor," etc.

An. MDVIII. Venetiis tum agenti legatum dedicat Aldus volumen primum rhetorum Graecorum: e quibus nonnulli ab eo primum in Italiam ſunt advecti—"Joanni Laſcari oratori re-"gio." Eum jam quinquennium Venetiis egiſſe legatum regis Galliarum, monet epiſtola nuncupatoria.

Eidem ante ſexennium nempe an. MDII. dum in aliis Italiae civitatibus ageret, nuncupaverat Aldus Sophoclis tragoedias a ſe editas.—"Joanni Laſcari viro praeclaro ac doctiſſimo. "——Sedentibus (inquit) nobis his brumae "frigoribus in hemicyclo ad ignem cum neaca-"demicis noſtris, forteque eſſet una M. Mu-"ſurus noſter.——Marcus, ut eſt ſtudioſiſſi-"mus tui ac perquam gratus diſcipulus (nam "quantum

" quantum bonis literis moribusque profecit, " profecit autem plurimum, id omne tibi ac- " ceptum refert) cum longo sermone de te ho- " norifice multa narrasset, te proximis Julio et " Augusto mensibus et Mediolani et Ticini vi- " disse addidit, deque renascentibus Graecis li- " teris plurimum tibi secum fuisse sermo- " nem," etc.

Joanne Medice, Laurentii magni filio, ad pontificatum Romanum, Leonis X. nomine, evecto anno MDXIII. ab eo veteris amicitiae nomine Romam evocatus est, honorificeque habitus, et in unam aut alteram legationem missus. Eique autor fuit ut gymnasium Romae institueretur, ubi nobiles pueri e Graecia acciti alerentur et erudirentur, ne lingua Graeca scite loquentium soboles interiret. Instituitur in Quirinali schola, cui ipse Lascaris praeficitur, ab eoque e Graecia accersuntur pueri, qui sub ejus auspiciis in edendos scriptores Graecos praeclaram operam impendunt. " Ejectis Florentia " Medicis, inquit Gyraldus, aliquandiu vaga- " tus; verum creato pontifice Leone X. Ro- " mam accitus honeste apud pontificem diver- " satus est, adolescentesque ingenuos ex uni- " versa pene Graecia Romam advehi curavit, " qui honeste alerentur et instituerentur tum " Graece tum Latine a doctissimis praeceptori- " bus." Huic scholae praefectum fuisse a pontifice ipsum Lascarim Budaeus diserte testatur. Et quantum illic operae edendis Graecis scriptoribus navatum fuerit, res ipsa docet. Nempe isti Graecorum gymnasio debemus scholia Grae-

ca

ca vetera in Homerum ed. una cum * Homero ipso Romae MDXVII. et scholia in Sophoclem ed. MDXVIII. necnon Porphyrii Homericarum quaestionum librum, ejusdemque De nympharum antro in Odyssea opusculum, eodem anno MDXVIII. impressum. Homeri scholia hoc titulo frontispicii praemuniuntur: "Lectori. Homeri interpres pervetustus, infinitis propemodum malignitate temporum laceratus plagis, Mediceum olim Quirinalis, jam Caballini, montis gymnasium adii, ibique haud parvo negotio in integrum restitutus, purus nitidusque ac mille fratribus auctus matris foecundissimae chalcographorum artis beneficio in lucem prodeo: parentis generosae studiorum professionis penetralia referans. Debes id quoque, lector candide, Leoni X. pontifici maximo, cujus providentia ac benignitate gymnasium nuper institutum viget, frugisque bonae testimonium perhibens bona sua studiosis perquam liberaliter impertit." Sequuntur Lascaris epigrammata Graeca duo in Homerum et commentatores ibi editos. Ad finem: Ετυπώθη ἐν Ρώμῃ, παρὰ τοῦ Κυρίνου λόφου, ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ εὐγενοῦς καὶ σοφοῦ ἀνδρὸς, προξένου τε τῶν λογίων καὶ κηδεμόνος ἀρίστου τοῦ Κολλοτίου τῶν ἀπορρήτων γραμματέως τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως, ἔτει, etc. Leonis pontificis privilegium ibidem impressum, a nobis hoc in loco praetermitti non debet:

* Fallitur autor doctissimus, ut et Fabricius. Scholia seorsum excusa sunt Romae MDXVII. at non Homerus ipse.

Leo

Leo PP. X.

" Universis et singulis ad quos hae litte-
" rae nostrae pervenerint, salutem et aposto-
" licam benedictionem. Studia litterarum et
" bonarum artium, quae vitam humanam im-
" primis illustrare et excolere videntur, et an-
" tea, dum in minore fortuna essemus, semper
" fovimus, et postquam ad supremum hunc
" honoris locum divina providentia evecti su-
" mus, de iis, quantum in nobis fuit, bene me-
" reri nunquam cessavimus, facturi idem in
" posterum tanto libentius tantoque liberalius,
" quanto ingenia ad artes ipsas capessendas fieri
" propensiora et ardentiora cognoverimus. Cum
" itaque dilecti filii adolescentes Gymnasii no-
" stri in Quirinali colle per nos constituti, Graecis
" artibus incumbentes, hanc antiquissimorum et
" nunquam antehac impressorum Homeri auc-
" torum interpretationem formis excudendam
" curaverint: Nos, considerata operis utilitate,
" et fructu maximo, qui ex tanti tamque illu-
" stris poetae expositione ad studiosos perventu-
" rus est, et simul habita ratione laborum et
" impensarum, quos chalcographi in excuden-
" dum librum contulere, operae pretium facere
" visi sumus, si ad eam rem juvandam favo-
" rem et auctoritatem nostram adjiceremus.
" Ne quid igitur in praejudicium Gymnasii
" fraudemque et detrimentum dictorum impres-
" sorum committat, volumus et mandamus ne
" quis eos ipsos auctores decennio proxime fu-
" turo imprimere, aut imprimi facere, aut im-
" pressos venundare, venundandosve dare ullis

" in

" in locis fine licéntia Gymnafii praefati, aut " ejus curam gerentium. Qui contra mandatum hoc noftrum fecerit, admiferit, is univerfae Dei ecclefiae toto orbe terrarum expers " excommunicatufque efto. Praeterea libris et " aureis quingentis ad arbitrium noftrum ap- " plicandis fine ulla remiffione multator. Prae- " cipientes univerfis et fingulis archiepifcopis, " epifcopis eorumque vicariis, necnon noftris " et S. R. E. officialibus et quemlibet magi- " ftratum tam in alma urbe quam extra eam " gerentibus, et aliis ad quos fpectat in vir- " tute fanctae obedientiae, ut praemiffa ad om- " nem inftantiam dicti Gymnafii ipfiufque " rectorum faciant inviolabiliter obfervari, con- " trariis non obftantibus quibufcunque. Datum " Romae apud Sanctum Petrum fub annulo " pifcatoris die VII. Septembris MDXVII. pon- " tificatus noftri anno quinto.

Scholiorum in Sophoclem ibidem editorum infcriptio fic fe habet: " Commentarii in feptem " Tragoedias Sophoclis, quae ex aliis ejus " compluribus folae fuperfuerunt: opus ex- " actiffimum rariffimumque in Gymnafio Me- " diceo Caballini montis a Leone X. pontifice " maximo conftituto, recognitum repurgatum- " que," etc. Porphyrii opufcula dicuntur " Leonis X. pontificis maximi beneficio e te- " nebris eruta, impreffaque in Gymnafio Me- " diceo ad Caballinum montem." In haec quoque opera utraque habentur epigrammata Joannis Lafcaris.

Nec aliorum linguae Graecae ftudioforum, dum his temporibus verfabatur Romae, defuit induftriae.

induſtriae. Extat ad illum tum Romae commorantem Budaei epiſtola, qua ei recommendatur Chriſtophorus Longolius profecturus Romam, ut ab eo in Graecis perfectius erudiretur. " Mecum precibus contendit, ut ſibi benevolum " compararem Graecorum eloquentiſſimum Laſ" carim, amicum, inquit, tuum: qui et Ro" mae aliis in rebus plurimum valet, tum etiam " apud ſummum eccleſiae antiſtitem literas et " diſciplinarum cultum diſpenſat, de eiſque ſta" tuit. Eo quippe auctore, Graecum gymna" ſium, idemque percelebre, ſtudioſe inſtitutum " eſt." Eumque tunc temporis Henricum Glareanum in Graecis erudiiſſe intelligimus ex Eraſmi ad Glareanum epiſtola ſcripta an. MDXVIII. " Joannis Laſcaris conſuetudinem " tibi profecto gratulor: non eſt ille ſui diſſi" milis, ſemper candidiſſime favet bonae ſpei in" geniis. Utinam eum virum Deus juvandis " optimis ſtudiis quam diutiſſime ſuperſtitem " eſſe velit."

Roma demum derelicta, non, ut ſcribit Gyraldus, poſt Leonis pontificis obitum, ſed hoc ipſo anno MDXVIII. in Galliam ſe rurſus contulit. Id quod patet ex Pauli Bonbaſii ad Eraſmum epiſtola, cal. Octob. iſtius anni data: " Laſcaris in Gallia nunc agit, propereaque a " me conveniri non potuit." Demiratur hoc audiens Eraſmus, " quae res eum a Roma po" tuerit avellere, praeſertim Leone praeſidente " rebus ac ſtudiis." Egiſſe quoque illum Pariſiis anno MDXIX. comperimus ex Budaei ad Brixium epiſtola data Mompeſſulo Maii III. " Si " vero tu in meum favorem ſalutaveris Laſca-

" rim nostrum, ut amico congruit, necnon de-
" center, immensum in me promeritum con-
" tuleris. Nullius siquidem hominum usque
" adeo amicitiam quemadmodum ipsius com-
" mendo atque magnifico."

Roma nimirum tum Parisios migrabat, a Francisco I. rege, illustri literarum in Gallia restauratore, accitus, ad bibliothecam regiam et gymnasium ibi constituendum, uti discimus ex Gyraldo. Qua de re audiendus quoque Jacobus Tussanus, primus in academia Parisiensi linguae Graecae professor regius, in epistola ad Angelum Lascarim ipsius filium: " Jani patris tui
" excellentem in Romana lingua, nedum ve-
" stra, peritiam, pluribus hic verbis ne fusius
" persequar, illud certe dicam, Graecae lite-
" raturae quantum usu, quantum scientia prae-
" cellat, ex hoc intelligi vel maxime posse,
" quod eum ex cunctis vestri generis hominibus
" de sententia doctissimorum delectum prin-
" ceps noster Franciscus accersendum esse cen-
" suerit, ut museo, quod in hac urbe longe
" omnium principe multo celeberrimum spera-
" mus excitatum iri, velut alter Apollo prae-
" sideat."

Graecorum gymnasium tale, quale Romae antea instituerat, sibi fieri voluit rex Franciscus; ideoque illum anno MDXX. Venetias misit, ut adolescentes quosdam e Graecia accerseret, Parisiosque advehi curaret. Budaeus rursum in alia ad Brixium epistola Graece conscripta Jun. 19. MDXXI. " Janus Lascaris amicusque tibi
" antea, et nunc ex amicitia migrans, Venetiis
" agens,

" agens, juvenes ſe ait opperiri, quos [a] per nonnullos illinc in Graeciam miſſos accerſiverat in Italiam: cum certum ſit ei minime redire inde, donec cognoverit quidnam ab eo miſſi confecerint in Graecia de virorum delectu, qui factus eſt ob ſtatum et conſtitutionem Gymnaſii. Quinetiam equidem ipſum eos praeſtolantem ſuſpicor leniter atque candido animo perſeveraturum, etiamſi intempeſtive venerint. Noſti enim hominem quam cupidus ſit ejus regionis, ac geſtiat eo quod eſt apud patricios et ingenuos illic incolentes hoſpitio. Alioqui interim immorantibus illis qui propter puerorum delectum miſſi fuerant, cum ipſi eſſet communicatio bibliothecae percelebris, compluribus quidem voluminibus, ut ferunt, eximiis refertae, ex qua certe Diodori Siculi libros neſcio quos deſcribi curavit, et ad regem dono miſit." Eum alibi monet Budaeus Venetiis agere ob commiſſum ſibi puerorum delectum. Rurſuſque in epiſtola ad Salmonium Macrinum: " Id quod ut facias exoratum te velim per Jani Laſcaris genium, communis nobis amici, etſi mihi fortaſſe peculiaris: a quo literas jam binas accepi Venetiis agente cum aliquot Diodori libris Graecis, quos regi dono miſit. Ubi nuncium praeſtolari ſe ſcribit e Graecia, unde pueros (ut noſti) accerſendos mandavit et curavit."

Utrum unquam in Galliam appulerunt acciti ab eo adoleſcentes Graeci, necne, in dubio eſt.

[a] Οὕς τινας ἐκεῖθεν πέμψας μετακαλεῖσθαι ἔφθακεν εἰς Ἰταλίαν. Quod Jac. Tuſanus ſic perperam vertit: *Quos illinc cum miſiſſet accerſere praevenit in Italiam.*

Patet vero ex Budaei epiſtola praecitata ad Brixium, aliaque quadam ad ipſum Laſcarim ſcripta, eo ipſo tempore gymnaſium Pariſiis inſtituendum, ob bella quae tum flagrabant voluntate regis ſopita, in nihilum abiviſſe. "Gymnaſia elapſi anni (ad Brixium, inquit) jam "tibi caſſa irritaque abeunt, de quibus certe fa-"ma luculenta, et expectatio excitata eſt, tur-"barumque cauſa ſubito jacuit et ſolicitudinibus "militaribus."

Cum itaque gymnaſium ab eo Pariſiis inſtituendum ad alia deferretur tempora, ſe Romam retulit ad Clementem VII. Leonis X. patruelem qui anno MCCCXXIII. ad pontificatum aſcenderat. A quo legatus miſſus eſt ad imperatorem Carolum V. ad quem orationem illius nomine habuit de concordia inter Chriſtianos conſtituenda belloque adverſus Turcas movendo. Quae oratio Gallice extat typis excuſa. Roma rurſum in Galliam ad Franciſcum regem demigrat, anno ſcil. MDXXV. vel etiam ante. Nam in epiſtola ad Brixium eo anno data Eraſmus facit illius mentionem tanquam tunc apud Brixium Pariſiis verſati. "Clariſſimo viro Joanni "Laſcari magnopere gratulor primum incolu-"mitatem, deinde convictum tuum, etiamſi "hunc tibi magis etiam gratuler."

Anno demum MDXXXIV. a Paulo III. tum recens in locum Clementis VII. ſuffecto, multis pollicitationibus vocatus, Romam remigrat; annoque ſequente, ex podagra et articulari morbo moritur, ſenex fere nonagenarius, relicto filio Angelo haerede, qui Pariſiis aetatem egit. Errore

rore magno ait [b] Lambecius eum obiisse sub pontificatu Leonis X. qui interiit anno MDXXI. Sepultus Romae jacet in aede D. Agathae supra Suburram, cum hoc epitaphio a se composito:

Λάσκαρις ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἐνικάτθετο, γαίην
Οὔτε λίην ξείνην, ὦ ξένε, μεμφόμενος.
Εὕρετο μειλιχίην. Ἀλλ' ἄχθεται, εἴπερ Ἀχαίοις
Οὐδ' ἔτι χοῦν χεύει πατρὶς ἐλευθέριον.

Quod Majoranus sic vertit:

Lascaris in terra est aliena hic ecce sepultus,
Nec nimis externam quod quereretur erat.
Quam placidam, O hospes, reperit: sed deflet Achaeis
Libera quod nec adhuc patria fundat humum.

Subjicitur aliud tetrastichon Graecum in memoriam Catharinae (ut videtur) uxoris ejus; quod apud Schraderum in monumentis Italiae, sed misere corruptum, videre est.

Praeter opuscula superius commemorata et epigrammata Graeca et Latina Basileae impressa MDXXXVII. edidit et Latine vertit excerpta quaedam e Polybii historiis De militia Romanorum atque in primis De castrorum metatione, quae inscripsit: *περὶ τῆς τῶν ὅπλων καταστάσεως.*

Angeli Colotii in illum epitaphium:

Dilectus Musis, et rebus natus agendis,
Quem gravida imperiis protulit alta domus;
Tot freta dum curris, totque invia regna pererras,
Ausonia tandem, Lascaris, urbe jaces.

[b] Com. de bibl. Vindobon. l. 6. p. 279.

Sed ſitus in patria es, Graio licet orbe remotus.
Virtuti nulla eſt terra aliena ſuae.

Marii Molſae:

Laſcaris hic ſitus eſt Janus, quo ſoſpite Graium
Res olim fractae non potuere capi.
Hic etenim in Latium dilectas Palladi Athenas
Detulit, et gemino mox dedit ore loqui.
Saepe etiam regumque animos populoſque feroces
Cecropio flexit tum ſale, tum numeris.
Annoſi donec confectum viribus aevi,
Exitio obrepens curva ſenecta dedit.
Felicem ante omnes, ſolio qui pulſus avito,
Tam procul hic patria contegeretur humo.

Antonii Tebaldei:

Laſcaris hic, Graium ſpecimen: nec crede cadaver
Illius eſſe ſub hoc marmore, ſed ſtatuam.
Altera quippe fuit Niobe: dolor impius illam
Natorum, hunc podagrae, tranſtulit in lapidem.

Benedicti Lampridii ad illum carmen:

Virum ſumpta refer chelys,
Qui modo Remi ad urbem
Rediit Alpium per
Juga frigoribus redimita;
Degat his ut ultimae
In locis ſua vitae
Tempora otioſior;
Atque ſe veterum
(Quod unum avet) libris virorum,
Latiniſque reddat et
Atticis, utramque quando

De

De teneris unguibus
Solida bona colens,
Novit elegantiam :
Ut antiqua gloria nihil
Magis pulchra tangat aſtra capite
Levi, ſolium et aureum Jovis.
Nihil ſapientia
Tollit altius, alis
Celeribus per omnem
Iter illa tetendit Olympum.
Cui nigram citra notam es,
Magne Laſcari, clarus
Intimuſque vel ſupra
Caeteros homines :
Quod Itali exterique Reges,
Apud quos tibi loqui
Contigit, graveſque rerum
Volvere moles, ſciunt.
Leone tribuerit
Plurimum tibi, feram ?
Leo decus tiarae et apicis
Sacri, quo nec ante magis aliquid
Fuit, nec alias dabunt Dei.
Amavit animo ille toto
Caput eruditum :
Amaverat prius
Laſcarin ejus
Pater, avidus decorae ille gloriae,
Lyra tacitus nulla, Etruriaeque
Potens divitis, aſperaeque praeliis,
Muſarum Heliconidum gravis
Cuſtos, et hoſpitum
Doctorum adamator.
Namque his patebat illico

Opima domus cognitis:
Ferax unde ſemper data copia
Ingeniis canendi
Genus Mediceum, et viros
Inclytos ſuper aſtra
Fidicinum canoris
Numeris, citharaque locatos.
Sed diem ultimum improbo
Rumpit pollice Clotho;
Noxque luminis nitens
Condit atra jubar,
In almaque ipſus intulit ſe
Jovis regna, vidit et
Inſolens coruſca Phoebi
Tela. Ita Laurentius
Sua bonus obiit
Fata. Janus id videns,
Amatum relinquere locum
Parabat, dolore victus, obitum ob
Nefarium, et acerba ſidera.
Tubis tunc fera Martiis
Bella forte ſonabant,
Nitidaque induebat
Furor arma cruore linenda
Militum ferocium,
Carlus ab Rhodano quos
Finibuſque Galliae
Acer innumeros
Agebat Auſonum per agros.
Frequens rumor ire eam
Grandinem fuit virorum,
Incuteret quae novum
Facile metum Aſiae
Toti, et impio freto,

Tenet

Tenet quae modo loco ſacer
Deorum hoſtis infulaeque Latiae,
Palaeologus ante pius
Quae Laſcaris avus tenebat.
Igitur paterna
Repente perculit res animum. Nec
Mora ; adiit haud pavens ille regiam.
Quis eſſet ait. Rex loquentis omnem
Stupebat faciem, ſtupebat elegans
Sermonis acumen. Haud enim
Princeps loqui genus
Conſuevit eodem
Quo plebs modo, nec ab rudi
Parum ſapiens diſcrepat:
Ad hoc intereſt, virne Pelaſgus, an
Barbarus os recludat.
  Ibi autem ſimul ac fuit
Finis, appoſitumque
Satis erat locutus,
Mora nulla, manum manui rex
Jungit, atque lumine
Conſpicatus amico
Pauca ſubdidit bonus:
Fata ſi dederint
Mea, et Deus, gerenda pro quo
Mihi haec bella, quae vides
Undecunque jam parata,
Te patrias in domus
Volo ego repoſitum:
Fide dexterae meae
(Datam tempſerit niſi manum
Homo perfidus quis?) in vetera te
Brevi refero regna tempore.
  Juva conſiliis tuis

Me interim, neque caſtris
Latereque hoc recede:
Mihi praecipuos eris inter.
Rex prius Neapolin
Jure quam veteri urbem
Gallus eſſe vult ſuam:
Hoc ſtudebat eam
Ne haberet hoſtis, idque nimbus
Facit vix aheneus.
Cum ſtatim potentiam auctam
Clam veriti, foedera nova
Socii ineunt
Mente principes levi,
Parum eheu! fides hominibus
Siniſtra inſtitutione colitur
Sit ut mala neceſſe mox pati.
Redire igitur immerens rex,
Aliamque mentem
Habere cogitur, militiam dum
Recreet, et hoſtibus robora apparet
Timenda magis. Caeterum deabus
Secus lanificis, Jovique ſederat.
Nam vix patrium attigit ſolum
Caſus per aſperos,
Cum lumina fato
Auguſta claudit, effero
Sonoro ululatu omnia
Relinquens ſuis, Laſcari maxime,
Cui nitida occidit ſpes.
Simul quam tamen excitat
Poſtea Ludovicus,
Nova ubi ſceptra ſumpſit:
Etenim tua cognita virtus
Te jacere non tulit.

Ergo

Ergo mittere ad urbes
Italas, labantium
Robores qui animos,
Et in fide colas manentes:
Quod haud quisque onus ferat.
Ille sed labor quoque auram
In tenuem evanuit:
Lachesis enim et hunc
Eripuit nimis cito
Dolorem dolore cumulans.
Adest tertius, parem tibi animum
Jubetque habeas amatque te.
Minatur sed, agitque dum
Multa pulchraque rerum
Modo tuo Leone,
Modo sospite fratre Leonis;
Experitur omnia
Hactenus Jove iniquo.
Irritae ergo quod morae
Pectus extimulant,
Gravisque deterit senecta
Vigorem usque fervidum.
Otio dicas beato
Quod superest temporis,
Studiaque melius
Ad privata te refers,
Quirini in virente tumulo;
Nitor qui loci antea quoque tibi
Solebat animo esse maxime.
Locus quis etenim tumultu
Vacat urbis aeque?
Ut urbs frequens et oracla Rodulphus
Bibit ea, cultor ille intimus sacri
Chori Aonidum; arcana scita quarum

Jugis

Jugis ex Heliconis unus oppida
In nostra tulisti, ubi solum
Natale barbarus
Victor rapuit vi,
Et regna nobiles sua
Male heu fugiunt Lascares.
Sed O Naenias, Pieri, quid cies?
Quid refricas dolorem?

Budaei extant ad eum epistolae aliquot Graecae, plenae dilectionis plane fraternae: *ὦ ἀδελφὲ, ὦ πάντων τῶν φίλων ἐμῶν ἥδιστε καὶ αὐτάδελφε— ὦ φίλε, ἁπάντων τῶν ἐμοὶ προσῳκειωμένων ἀνδρῶν καὶ εὔνων ἐπικλήτων μάλιστα δεδοκιμασμένε. Non per barbam tuam, inquit, quam dum discederes te amplexus deosculatus sum*, etc. Ab eodem laudatur cum alibi, tum hujusmodi verbis in epistola ad Janum Forestanum, illius discipulum: *Λασκαρίζειν τοίνυν ἐστὶν ἐν λόγοις μὲν καὶ φράσει, τὸ δεινῶς λέγειν καὶ κομψῶς. Τὸ δὲ ἦθος Λασκαρίζειν ἐστὶ, τὸ τὰ ἐπιεικῆ καὶ χρηστὰ καὶ εὐαρεστούμενα φρονεῖν. In literis quidem et elocutione Lascarisare est graviter eleganterque dicere. Ingenio vero Lascarisare, est mansueta et fructuosa placidaque sapere.*

Budaei postea causa epigrammata quaedam in Erasmum edidisse credebatur, inter alios Budaei amicos in Erasmum vehementer commotos, quod in Ciceroniano (scripto an. MDXXVIII.) Erasmus Budaeum cum Ascensio Badio contulisse videbatur.

Ab ipso tamen Erasmo, cum alibi saepius (ut supra) tum in eo ipso libello, elogiis haud contemnendis exornatur: " De Jano Lascare, quo-
" niam

" niam adhuc fupereft, dicendum eft parcius. " Morum comitate generis nobilitatem prae fe " fert, acri judicio vir, multae in epigramma- " tibus argutiae: poterat inter Ciceroniani cog- " nominis candidatos numerari, ni crebrae le- " gationes ac regum negotia revocaffent homi- " nem a mufis." Epigrammatum in fe fcriptarum, cum ab aliis Budaei amicis, tum ab ipfo Lafcare meminit Erafmus in epiftola anni MDXXVIII. " Clamant me invidere gloriae Bu- " daei, meque multis epigrammatiis dilacerant, " in quibus aliquot putantur Jani Lafcaris, " quem tamen in hoc ipfo libello honorificen- " tiffime commemoro, nec ufquam alias no- " mino nifi cum honoris praefatione." Rurfus in epiftola anni MDXXX. ad Brixium: " Ber- " quinus fcripferat ad me carmen effe Lafcaris, " diftichon tantum extremum effe Tuffani. Po- " ftea quidam homo minime levis ceu rem " compertam fcripfit totum carmen illius effe. " Et tamen me leviter commovit hoc quicquid " erat; magis dolebam hujufmodi diffidiorum " materiam quaeri, non fine gravi bonarum li- " terarum jactura."

Leonem X. ad pontificatum nuper evectum Jano Parrhafio conciliavit, eique auctor fuit ut illum Romam ad docendum evocaret, quo nomine a Parrhafio dicitur [c] " Vir ad promeren- " dos homines natus." Extat ad illum ejufdem Parrhafii epiftola [d], cum hoc illius elogio: " Joanni Lafcari Byzantio Gallorum regis apud

[c] Orat. ante praelect. Cic. ad Att. quaef. fylloge IV. ep. I.

[d] De rebus per ep.

" fenatum

" senatum Venetum legato.—Lis est mihi cum " Politiano sinuosa, quaeque non, nisi ab eo " qui juxta Graece sciat ac Latine, decidi recte " possit. Itaque te disceptatorem (si per ad- " versarium liceat) elegi, quum nemo nostro- " rum, multis abhinc annis adeo Graece pro- " fecerit, ut ipse Graecus homo Latine: quam- " que Graecis a Cicerone laudem questus est " Apollonius ereptam, tu cum pulvisculo cor- " rasam tibi tuisque vindicaveris: in aliena " lingua tantus, ut sapientissimus Venetorum " senatus eloquentiae tuae vi captus, opes in " Italia Gallorum coalescere non indigne ferat. " Utinam Byzantii novaeque Romae res ampli- " ficari per te daretur, ut a majoribus olim tuis " in sua republica potentissimis. Hoc enim " satius longeque magis expetendum quam ex- " terae genti regnum constituere. Quoniam " vero per immanem Scytharum dominatum " non licet, hoc (ut ille dixit) Catone con- " tenti, tempori serviamus et Musis, in quarum " collegio quum principem locum teneas, ac- " cipe controversiam tibi jure debitam, qua- " que soles libertate meliori caussae suffra- " gari," etc.

Pauli Jovii elogium: " Joannes Lascares " Graecorum fere omnium, qui Othomanicis " armis patria pulsi in Italiam confugerunt, no- " bilissimus atque doctissimus fuit. Stirpem " enim sanguinis incorrupti ad imperatoris Con- " stantinopolitani decus generosis moribus re- " ferebat, utpote qui ab ingenua educatione op- " timas literas imbibisset.—Valebat Latina fa- " cundia, ita ut versus, qui extant, perscribe- " ret,

" ret, ſed adeo contumaci ſterilitate deſidioſus " erat, ut in vertendo Graeca vix Polybii caſtrametationem efflagitantibus amicis expreſſerit, quod id ſtudium, recto an maligno judicio incertum, penitus damnaret. Verum " egregia cum laude praeſtitit, ut Latini haberent emendatiora, quae minore ipſorum labore verterentur. Honeſtae facultates non " certo rixae reditu, ſed aliena liberalitate quaeſitae, vel in rem negligenti et ſumptuoſe vi" venti nunquam defuerunt."

Autor additamentorum chronici Jacobi Philippi Bergomatis: " Janus Laſcaris, ſummae " eruditionis et gravitatis vir.—Romae a ſummo pontifice multis praemiis affectus, nihil " aliud curabat, quam ut antiqua veterum " ſcriptorum monimenta ſuae integritati reſtitueret, atque emitteret in lucem. Quod officium etiam admodum ſenex tanta cum diligentia exercuit, ut niſi ſiniſtro fato nobis tam " cito ereptus fuiſſet, futurum erat, ut Graecae " literae priſtinum decus aſſumerent. Mortuus " eſt non ſine doctorum omnium lacrymis. " Reliquit autem nobis Angelum Laſcarem filium paternae virtutis et eruditionis exemplum " apud Pariſinos."

PieriusValerianus, dialogo 2. De litteratorum infelicitate, poſtquam locutus fuiſſet de Demetrio Chalcondyle, illiuſque filiis Theophilo et Baſilio, " Baſilio, inquit, morte praematura erepto, " et Muſuro ſublato, vix unus tantum Joannes " Laſcaris eſt ſuperſtes, qui litterati nomen inter Graecos obtineat. Neque quidem ille " ulla unquam vitae ſuae tempeſtate felix, niſi

" quantum

" quantum virtute et ſapientia ſua omnes et
" fortunae ſaevientis impetus, et valetudinis
" etiam, quae de artubus omnibus laborat, atrocitatem exuperat."

Appellatur a [e] Joanne Ludovico Tiletano " noſtra memoria linguae Graecae (ut ſic dicam) Camillus."

Thomas Morus in reſponſione ad Germani Brixii Antimorum: " Deloinum, Budaeum, Laſcarem, viros literarum et virtutis gratia toti commendatos orbi (quorum nominibus major debebatur honor, quam ut libello contaminares iſtiuſmodi, tanquam gemmas collocares in luto) nominas; eoſque tecum velut in partes attrahis: quos et caſtigatores praedicas, et conſultores adhibitos in conſultiſſimis conſiliis. At ego, quanquam de ſyllabis illis ac ſoloeciſmis, quas objectas mihi non poſſum ſpondere quod ſentiant, quorum me audierint, nec in illis quidem detrectabo judicium; certe tales eſſe eos perſuaſum habeo, et philoſophicae rei ſcientia, et rerum prudentia publicorum, ut," etc.

Quanti illum una cum Chalcondyle, Muſuro, et Aldo Manutio, aeſtimaverit Stephanus Niger, vide locum ſuperius in Chalcondyle ex ejus dialogo de Graeciae antiq. adductum.

Lud. Vives [f]: " Joannis Laſcaris extant Latini et Graeci luſus, ex argutiis brevibus et velut punctis ſubobſcuri."

Gerardi Voſſii [g] judicio, " non aſpernanda

[e] Praef. alphabeti Graeci ed. Pariſ. MDXXXVI.
[f] De trad. diſcipl. l. 3.
[g] De poetis Graecis.

" ſunt

" ſunt epigrammata ejus, ſed quae tamen non " augeant viri nomen."

De ejus verſione Polybianorum, Iſaacus Caſaubonus in Polybii praefatione: " Janum Laſ" carim difficillimam partem ſcriptionis Poly" bianae facere Latinam eſſe auſum, illis prae" ſertim temporibus, magnum fuit: multum" que verae laudis ea, quamvis brevi, opella " praeſtantiſſimus ille vir, me judice, meruit. " Qui, ſi in nonnullis parum videtur caviſſe, " non tam eo nomine reprehendendus; homo " enim erat, quam admirandus, quod in ple" riſque κατώρθωσε· Graecus enim erat."

Juſtus Lipſius, qui eadem nova interpretatione donavit, De milit. Rom. l. 1. dial. 1. ait illum " apte et docte pleraque jam vertiſſe: " tamen revera alibi aliter, et, quod caput eſt, " non ſemper preſſe et adſtricte.

Huetius de claris interpretibus: " Janum " Laſcarim in converſo Polybio, exiguo qui" dem, at totius operis longe difficillimo frag" mento, ſaepenumero demirari ſoleo, ut eo" rum quae de eximia ipſius lucubratione in " Polybio noſtro praefati ſumus" [ſic Caſaubonus introducitur loquens] " minime nos ad" huc pigeat. Quod ſi hoc non ſpreviſſet in" terpretandi munus, et excuſſo veterno, quo " pene ſepultus vixit, plura ingenii ſui monu" menta reliquiſſet, melius quippe nomini ſuo " et poſterorum utilitati conſuluiſſet; at quan" tum conceſſit otio ſuo, tantum ex gloria dimi" nuit."

Dum Romae egit, in Virgilium tanquam artis ignarum epigrammata ſcribere auſus eſt,

quo nomine a multis, epigrammatis in ipſum editis, vapulavit. "Janum Laſcarem, inquit "Gyraldus, vidimus et audivimus ſaepe lo-"quentem multis de rebus docte et argute.— "Non ſolum Graece et Latine doctus, ſed et "regum ac principum agendis tractandiſque "negotiis fuit idoneus, et niſi Vergilium epi-"grammate proſcidiſſet, ut artis ignarum, quo "nomine a multis fuit exſibilatus, et ideo in "eum verſus et Graece et Latine a pleriſque "(Romae) compoſiti fuere, hic cum alio quo-"cunque Graecae nationis poeta fuiſſet confe-"rendus."

Extant apud Franciſci Floridi apologiam in linguae Latinae calumniatores, epigrammata bina, quibus Laſcaris Virgilium impetiit, et tria alia, quibus Ciceronem proſcidit: ob quae in illum, jam defunctum, acerrime ſtomachatur Floridus, eoſque ſcriptores contra illum dedita opera prolixe tuetur, vix alio ullo nomine, quam Graeculi impudentis et inepti, eum dignatus. In Virgilium autem et Ciceronem epigrammata iſta ſcripſit Laſcaris, quia de gente Graeca nonnihil minus honorifice loqui viderentur.

De Theodoro Duca Laſcari imperatore Conſtantinopolitano, hujus proavo, cujus extant nonnulla impreſſa, in codd. MSS. plura, hic loci nihil attinet diſſerere. Ab eo vero imperatore Theodori praenomen filio cuidam ſuo videtur indidiſſe. Nam de filio ejus intelligendus videtur Budaeus, cum in epiſtola quadam ad illum, "Theodorus tuus (inquit) quae hic "aguntur tibi enarraturus eſt, quem ſub-

"inde

" inde non conveni ſaepenumero in aula ver-
" ſantem, ipſe quidem interim in urbe degens."

In indice manuſcriptorum codicum bibliothecae Venetae Baroccianae a Jacobo Philippo Tomaſino edito occurrit grammatica Theodori Laſcaris ad reginam Auguſtam. Quis iſte fuerit Theodorus Laſcaris, utrum idem cum imperatore necne, in ambiguo eſt. Inter codices Baroccianos, qui in bibliothecam Oxonienſem Bodleianam tranſlati ſunt, nullum talem invenio.

Franciſci Laſcaris, viri Graece docti, Joannis noſtri vel filii, ni fallor, vel ex filio Angelo nepotis, mentionem invenio in catalogo bibliothecae Nicolai Heinſii, ubi de exemplari Heliodori Graeco ed. Baſ. MDXXXIV. monetur, fuiſſe iſtud
" Franciſci Laſcaris, cujus manu in margine non
" pauca videntur addita."

CAP. VI.

De MICHAELE MARULLO, et MANILIO RHALLA.

MICHAEL MARULLUS TARCHANIOTA, a Petro Crinito Marullus Byzantius paſſim dicitur, in poematum ſuorum inſcriptione Michael Tarchaniota Marullus Conſtantinopolitanus. Originem nimirum traxit a Marullis Conſtantinopolitanis, ſed ab Euphroſyne Tarchaniota Michaelis Tarchaniotae filia, matre ſua, Tarchaniotae nomen ſibimet aſſumpſit. Patrem habuit Manilium; avum Philippum, filium Manilii Marulli Conſtantinopolitani; qui ſepultus jacet Anconae in templo S. Dominici cum hac inſcriptione:

Manilio Marullo,
Patria Conſtantinopolitano,
Vetuſtiſſimo genere Marullorum nato,
Qui ex D. D. Gordianis Marullis
Rom. Imp. originem ducunt,
Omnibus Virtutibus honeſtiſque moribus praedito,
a Turcis fortunis ampliſſimis ſpoliato
Patriaque ejecto,
Summis magiſtratibus, legationibuſque variis,
Terra Marique laboribus,
Vita denique
Idibus Novembris Anconae defuncto,
Philippus Theodoruſque filii,
Parenti pientiſſ.
Qui vixit ann. XCV. poſ. anno Salutis MCCCC.

Anconae

Anconae eadem in aede visuntur monimenta Philippi Marulli, Michaelis avi, [h] Manilii patris, Euphrosynae Tarchaniotae, matris ejus, necnon Michaelis Tarchaniotae, Euphrosynae patris, et Pauli Tarchaniotae, Euphrosynae fratris, cum epitaphiis a Michaele nostro compositis, quae omnia extant inter ejus epigrammata, si excipias istud Michaelis Tarchaniotae, quod, nisi me fallit memoria, in libris ejus non comparet. Matris ejus Euphrosynae epitaphium tale est:

Quaenam hoc in tumulo tegitur matrona? Venustas.
Ille pudicitiam dixerat, haec eadem est.
Quod genus? Inachidi. Generis fortuna? Beata,
Sed cecidit patria deficiente sua.
Quis torus? Unus, et hic felix sine lite Marulli.
An mater? Seno pignore fecit avum.
Quae vita? In tenebris. Quae causa indigna doloris?
Occasus patriae, servitiumque grave.
Ecquem cum patria luxit? Fratresque patremque, etc.

Progeniem suam antiquam generisque nobilitatem gloriatur ipse in carmine De exilio suo. Et ad originem familiae suae ab imperatoribus Romanis deductam adludit in versiculis de morte Jani fratris, qui in pueritia defunctus est:

Cur sine me Elysia felix spatiare sub umbra,
Inter honoratos nobilis umbra patres?
Occurrunt Graiique atavi, proavique Latini, etc.

[h] Fallitur enim Schraderus cum in Italiae monimentis, epitaphium Manilii, patris nostri Michaelis, attribuit primo isti Manilio, qui obiit an. MCCCC.

Expugnata urbe patria, Anconam (ut videtur) ubi abavus ejus Manilius antea degerat obiitque, a parentibus puer adductus est.

Florentiam postea accessit, ubi a Laurentio Medice communi doctorum omnium patrono, exceptus est munifice. Crinitus in carmine ad eum De imagine et portento avaritiae:

Placuit ad urbem flectere,
Qua noster Medices Pieridum parens,
Marulle, hospitium dulce tibi exhibet:
Ac te perpetuis muneribus fovens
Phoebum non patitur tela resumere:
Laurens Camaenarum decus.

Eidem principi perillustri Laurentio epigrammatum suorum libros IV. dicabat.

Fautorem quoque habuit Antonium principem Salernitanum, ad quem habentur epigrammata ejus aliquot, cuique nuncupantur libri IV. hymnorum naturalium in Deos gentilium. Illius in se munificentiam epigrammate hoc celebrat:

Das gemmas aurumque, ego do tibi carmina tantum.
Sed bona si fuerint carmina, plus ego do.

Item alio:

Olim rogatus quid sibi relinqueret
Tam multa qui cuivis daret,
Hoc inquit ipsum Antonius si quid dedi:
Nam caetera haud puto mea.

In Gallia aliquando tam diu egit, ut Galliam tuam dicat Crinitus in carmine ad illum scripto De improba mordacitate Zoili:

Haec

Haec peſtis eſt, Marulle, noſtri ſeculi:
Non illa quam procul fugis:
Licet relinquas patrios demum lares,
Aut Galliam tuam petas:
Seu te per undas Rhindacus videt ſuas,
Ubique te tamen occupat.

Num ideo potius Galliam tuam dicit, quod a partibus Gallorum militando ſtetit? Judicent alii.

Amicos ſuos peculiares verſiculis hiſce recenſet,

[i] Laure compater, Altili, Eliſi, Eli,
Parde Phoſphore, Rhalle, Zenobi, Acci,
Pontane, unanimi mei ſodales.

Uxorem Florentiae duxit Alexandram Scalam poetriam claram, Bartholomaei Scalae, ſecretarii Laurentii Medices filiam, cujus laudes epigrammatis compluribus celebrat.

A prima ferme juventute in Italia militabat, inter alarios equites deſcriptus, ſub Nicolao Rhalla Spartano duce: eodemque tempore Muſis ſimul ac Marti operam navabat, id quod ipſe teſtatur in epigrammatum prooemio ad Laurentium:

Inter mille neces, durique incommoda Martis,
Quis putet Aonias poſſe juvare deas?
Hic quoque, Laure, juvant, perque arma enſeſque ſequuntur:
Militiae comites nec pudet eſſe meae,

[i] *Laurentius* Medices, Gabr. *Altilius*, *Eliſius* Calentius, Jo. *Pardus*, Manilius *Rhallus*, *Zenobius* Actiolus, *Accius* Sincerus.

Quaeque manus ferrum, posito fert ense libellos:
Et placet, et Musis est sine dulce nihil, etc.

" Demum dum Siclam [k], qui olim Cecina di-
" cebatur, fluvium vel exigua tunc aqua fluen-
" tem (non solito inflatiorem, quod dicit Jo-
" vius) ingressus, sive equum potaturus, sive
" alia de causa tantillum immoratus, sensit e-
" quum anterioribus pedibus ita in arenas alvei
" semper insidi voraginosas absorberi, ut emer-
" gere inde non posset, dumque indignatus cum
" calcaribus adurget una cum equo in coenum
" provolutus est, impactoque crure sub cante-
" rii ventrem, cum neque surgere, neque se
" inde exsolvere posset, modica admodum ejus
" profluentis aqua suffocatus interiit. Ferunt
" illum primo statim casu vehementer excan-
" duisse, utque erat irae impatiens convitia et
" maledicta in superos detorsisse."

Hoc accidit, ut testatur Jovius, eo die quo Ludovicus Sfortia dux Mediolanensis a Gallis captus est: quod factum anno, ut, idem in historiis tradit, MCCCCXCIX. juxta alios MD. Omnino fallitur [l] Ger. Vossius, qui Marulli mortem refert ad XVII. Cal. Julii an. MDXI.

Sepultus jacet Anconae una cum majoribus suis in aede S. Dominici, inscriptione hac sepulchro incisa:

Michaelis Tarchoniotae Marulli
Euphrosynes Tarchoniotae et Manilii Marulli fil.
Philosophi et poetae praestantissimi.

[k] Pierius Valer. de liter. infel. [l] De poetis Lat.

Dum

Dum floruit magni decus Byzantii,
Marullus alti lucidam Jovis domum,
Laudesque factaque omnia extulit Deum:
Visa suorum caede, patriaeque ignibus,
Letho parentum, fortis exilium tulit.
Sacris operatus Musis fluvio perit,
Aliis dolendus ipse quae praeviderat.
Aeternitatis templa non miser colit,
Plectro et decorus aureo, et toga gravis,
Gravem facit cantu stupere Pierim.

De principum institutione poema grave utileque imperfectum moriens reliquit. Defunctum pari moestitia luxere Graeci Latinique.

Antonius Tebaldeus.

Hic situs est cithara celebris gladioque Marullus,
Qui Thusco, heu facinus, liquit in amne animam.
Neptune immitis, meruit si mergier ille,
Mergier Aonio flumine debuerat.

Jov. Pontanus.

Hoc vacuum tibi Pierides statuere sepulchrum,
Et Graia et Latia clare, Marulle, lyra.
Ipse etenim Aonia in sylva, atque Heliconis in antris,
Laetus agens illic otia grata teris.
Illic formosae ludunt ad plectra puellae,
Et tecum ad choreas carmina lecta canunt;
Et tibi responsant sylvae, Peneiaque antra;
Plaudit et Ogygio roscida ripa lacu.
Nil praeter nomen tumulo: per opaca vagaris
Culta, per Elysium, docte Marulle, nemus.

Hinc

Hinc tibi ſe ad cantum adjungit formoſa Corinna,
Cantat et ad calamos Delia culta tuos:
Illinc compoſitos exercet Cynthia ſaltus,
Exercet raros Lesbia blanda choros.
Nec Parca eripuit, Muſae rapuere Marullum,
Arnidi ne fieret grata rapina Deae.
Sis felix igitur Muſis comes, et tua Muſae
Ambroſio foveant membra adamata ſinu.

Petrus Crinitus.

Ain' periſſe maximum vatem meum?
Num vera, Philon, nuntias?
Quid audio? quis auſus, indignum ſcelus,
Nobis, Marulle, te abſtulit?
O ludicram ſpem vitae: et O dementiam
Mortalis impotentiae.
Ut falſi inani detinemur gaudio,
Vanaſque jactamus preces.
Sed O Deorum imperium, et O neceſſitas,
Quae ludis humanum genus:
Celſi tonantis inſidens capite altius,
Superba vinculis aeneis,
Quae cuncta nectis, et potenti dextera
Noſtrum repellis ambitum.
En ipſe cum meis repulſus victimis
Falſo, Marulle, dixeram:
Vives beatos atque candidos dies:
Vives, favente Cynthio.
Sed O ſacrum pectus, quis ille undantibus
Te Caecinae lymphis dedit?
Quis ille noſtris obſtitit votis Deus:
Contraque tot meas preces
Audax negavit te mihi ſuperſtitem?
O nullibi certam fidem.

An diva Nape filia potens Caecinae,
  Marulle, te mihi abſtulit,
Numeroſque nobiles et entheum melos
  Dicavit undis gemmeis?
Sic tu, Marulle, deſeris dulcem chelyn,
  Vatumque carmen aureum?
Quis inter aptus Gratias atque Veneres
  Docte camoenas inſeret?
Quis nunc Deorum laudem et omnigenum decus
  Caeleſtis aulae concinet?
Quis fronde ſacra cinxerit crines ſuos,
  Regemque dicet maximum?
Sed fruſtra inerti lacrymamus naenia,
  Quod arripit fatum potens.

Idem in carmine ad eum, quod relictis Muſis a Naevia detinetur:

Tu carmen altum principis
Vates beato pectore
Abſolve, dum Phoebus monet,
Tu dedicatus Cynthio
Docto, Marulle, carmine
Tradas perennem poſteris
Famam potentis ingeni.

Eum alibi Crinitus idem, una cum Pontano commendans, utrumque in ſuo genere abſolutum eſſe tradit, eoſque pro optimis exemplis, et veluti decora atque illuſtria vetuſtatis monumenta a doctis agnoſci.

Pierius Valerianus, jam tum puer.

Cur adeo fluctus contra conaris? in undis
  Oppetiiſſe horres, cur Helicone ſatus?

Igneus

Igneus ut gelido vigor extinguatur in amne,
Forte times? atqui ſaepe fit ignis, aqua.
Non hoc, inquis, habet male me: quod miles, et acer
Sim doleo: ſub aquis militem obire pudet.
Ah ne indigneris, miles licet impiger, aſtra
Hac pervulgata fortibus ire via.
Hac pius Aeneas, et bello magnus, et armis,
Hac Romae fertur Romulus iſſe pater.
Sfortia ſummus honos belli, invictuſque Robertus,
Hac, qua tu, ad ſuperos, tranſiliere polos.
Debentur coelo fortes: coelo ignis et aer,
Undaque ſuppoſita eſt: infima terra tenet.
Scandenti a terra ad coelum ſtat limes in undis
Primus: age hac coelum ſcande, Marulle, via.

Idem in libello De Literatorum infelicitate: "Simili mortis genere ſublatus eſt Marullus "Tarchoniata; qui quantae fuerit eruditionis, "hymni et epigrammata ejus, quae magna "cum laude omnium in manibus verſantur, fa-"cile indicant, tum inchoatus liber de prin-"cipe, eorum omnium judicio qui opus in-"ſpexere, antiquitatem in certamen provocare "judicatur. Hic tamen tam ſublimi ingenio, "tantaque doctrina vir, quamdiu vixit, mili-"tari ſtipendio ſeſe alere coactus, in aſſiduo "ſemper labore vitam traxit infeliciſſimam, "nullius unquam principis liberalitate adjutus, "ut in litterarum otium ſe conferre poſſet," etc.

Hercules Stroza in Venatione:

——Graia de ſtirpe Marullus
Muſarum comes egregius, cantorque deorum.

Andreas

Andreas Dactius :

Ingenio Phoebo, belli par munere Marti,
Graia domus Cecina busta Marullus habet.

Idem.

Evasit toties hostilia tela Marullus,
Ut Cecinae tumidis obrueretur aquis.

Eidem tamen Dactio non usque adeo placuere versus Marulli, quin in ejus laudatorem epigramma hoc ederet :

Quod mihi versiculos laudas et scripta Marulli,
Laudo ego, si laudis terminus ullus erit.
Sed mihi quod toties laudes totiesque Marulli
Carmina, confiteor non tolerare queo.
Desine; laudasti, satis est: ne forte Marulli
Credantur versus laudis egere tuae.

Latomi.

Est aliquid lenisse feras, fluviosque stetisse,
Inque opus arguta saxa animasse lyra.
Plus est imbelles traxisse in castra Camoenas;
Ille sit Amphion: iste Marullus erit.

Elogium Jovii : " Marullus Tarchaniota " Graecus—ita laborem ac studium duri Martis " cum tenerrimis Musis per intervalla feliciter " adaequavit, ut non Graeco tantum, sed Latino carmine admirandus evaderet. Nam " Theodori ac Argyropyli decora vestigia subsecutus, nihil jam Graece doctum esse satis " ad laudem putabat, nisi tota patrii sermonis " facultas Romanae facundiae jungeretur.——

" Marullus

" Marullus inquieto ingenio nullibi ſedem ſta-
" bilem nactus, in curſu ſtudiorum ac itinerum
" ſemper fuit; transferendique munus tanta
" contentione famaque ab aliis ſuſceptum ſem-
" per contempſit, quaſi minime par, aut certe
" nobilis gloria periculoſo opere peteretur; gra-
" viora idcirco meditantem poſt editos epigram-
" matum libellos, quibus Apollo pereleganter
" arriſerat, in Volaterrano Cecina amnis ſolito
" inflatior, fallente aequum caeco vado, vio-
" lenter abripuit."

Raph. Volaterranus in Paralipomenis: " Di-
" ſcipulum habuit Pontanus Marullum Con-
" ſtantinopolitanum, hoſpitem meum, qui eo-
" dem die quo a me Volaterris diſceſſit, in
" amne Cecina ſubmerſus eſt: vir acris cum
" ingenii, tum judicii, et qui plus noſtrae quam
" patriae linguae vacaverit, ut ejus indicant car-
" mina."

Gyraldus, De poetis ſui temp. dial. 1. " Rhallo
" Marullus cultior argutiorque. Extant utriuſ-
" que varii generis epigrammata, et Marulli
" praeterea naturales hymni, in quibus illum ex
" multis audivi adjutum a Pico patruo, vobis
" hic audita tantum refero. Ex his certe hym-
" nis quoſdam adeo ſui amatores nactus eſt, ut
" eum caeteris hac facultate praeſtare vulgo
" praedicent. Ego quidem a Zoilo (proprio
" enim nomine non appello) qui Marullum
" ubique habere neſcio quid Graecanicae levi-
" tatis exiſtimat, et eſſe plura apud ipſum quae
" tollere poſſit, adeo diſſentio, ut nonnihil ta-
" men arrogantiae aſcribam. In inſtitutionibus,
" quas

" quas ille principales inſcripſit, imperfectis nihilo magis praeſtat, videas tamen illum excelluiſſe, et quem volebat effingere, Lucretium plane referre, vir profecto indignus qui tali mortis genere periret," etc.

Ludovici Vivis [k] judicio, Politiano " obſcurior eſt et gratia impari."

Eraſmus [l] " Marulli pauca legi tolerabilia, ſi minus haberent paganitatis.

Beatus Rhenanus in praefationibus, quas praefixit epigrammatis et hymnis naturalibus ed. Pariſiis MDXXIX. non immerito conqueritur, " Marullum velut ethnicum, et deos celebrare et poematibus ſuis venerari, uſque adeo antiquitatis aemulum, ut priſcis illis ſeculis principes Latinae linguae viros, non modo adaequarit, ſed longo poſt ſe intervallo reliquerit. Quis (inquit) non gravi cordolio ſtatim afficietur, lacrymaſque affatim emittet, qui aſpexerit Marullum neglecta illa Menandri ſententia, ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ λάλει καὶ μάνθανε, in prophanis ingenii periculum facientem, nominis ſui immortalitatem ad poſteros tranſmiſiſſe. Utinam atque utinam ingenium ſuum pluſquam divinum ad ſacra accommodaſſet, atque Jeſu Chriſti vitam innocentiſſimam, aliorumve noſtrae religionis divorum heroicam continentiam, aut ſacriloquorum auctorum ſententias, carminibus ſuis cognobiliores reddidiſſet. Nam hac tempeſtate ubique fere in ſacris nitor deſideratur."

[k] De trad. diſcip. l. 3. [l] Ciceronian.

Ejuſdem

Ejusdem Distichon.

Quod priscis similes meliora haec secla poetas
  Protulerint, vates Tarchaniota probat.

Eadem editione habentur in laudes ejus epigrammata aliquot Symphoriani Trunelli Lugdunensis, quorum unum hoc subjicere libuit.

Ad Zoilum.

Tantum, Zoile, cur noces Marullo,
Quem tu plus oculis amare debes
Toto pectore et internis medullis?
Qui dicteria promit haud molesta,
Et blandos, varios sales, lepores.
An te candidulam necare famam
Tandem posse putas tuis loquelis?
Aut quae te mala mens movet, Miselle,
Ut talem velis excitare rixam?
In te tela parant novem sorores
Et Phoebus pater et ferus Cupido:
Quis pro te Deus? an severa Pallas,
Quae doctos colit et fovet Poetas:
O rem ridiculam et magis jocosam!

Addit illum (quod utinam constaret) quamvis carmine lascivum, mente tamen pudicum fuisse.

Thomas Morus epist. ad Erasmum adversus Germanum Brixium: " Quod hoc ita moleste " fert Brixius, quod Rhenanus epigrammata " mea Marulli et Pontani praetulerit, debebat " aliquanto pressius Rhenani laudationes ex- " pendere: qui etsi multo mihi tribuit amplius, " quam meus pudor possit agnoscere, tamen ea " parte

" parte qua potissimum Brixius offenditur, non
" adeo effusus est in laudes meas, ut Brixius
" invidere debuerit. Neque enim me Pontano
" aut Marullo undecunque praefert Rhenanus,
" aut confert. Natura tantum comparat, non
" Graecarum literarum peritia, ne sit opus ut
" ita stomachetur Brixius Graeco conferri Bri-
" tannum. Etenim natura quid impedit etiam
" Graeco parem quempiam vervecum in pa-
" tria crassoque sub aere nasci? Quanquam
" ipse neque tam superbus sum, neque tam
" nescius mei, ut quae mihi tribuit Beatus Rhe-
" nanus agnoscam: qui me, quod dixi, talibus
" viris natura confert, utilitate vero praefert
" hactenus, ut censeat plus frugis adferre lecto-
" ribus si quid affero salubrium sententiarum,
" quam quicquid illi chartis illinant obscoeni-
" tatis ac nequitiae: ac plus juvare putat quae
" simpliciter ac aperte cano, quam Marulli de-
" lectant aenigmata."

Ger. Vossius De poetis Lat. " Nec justas
" laudes detractum ivero Michaeli Marullo:
" qui patria licet Constantinopolitanus foret,
" Romanas tamen Musas magis excoluit, quam
" Graecas, multumque iis laudis acquisivit.
" Assiduus fuit Politiani obtrectator, doctrina
" licet inferior, nec par lepore; ut Vivis etiam,
" aliorumque judicium est."

Ut contra Joannem Lascarin, sic quoque in Marullum magna irarum mole insurgit Franciscus Floridus apologia in linguae Latinae calumniatores, Graeculum illum, et stultum appellans, quod sex tantum poetas Latinos, nempe Tibullum, Maronem, Terentium, Horatium, Lucre-

tium, Catullum, suo genere praecellere existimet: graviterque is succenset Petro Crinito quod Marulli laudes carmine celebrarit, quod carmen ejus putidum vocat. In opus etiam illius De honesta disciplina, quoniam ibi quoque Marullum laudat, acerrime invehitur pro more suo feroculus iste Floridus. Ob eandem caussam Graeculus quoque appellatur Marullus a [m] Ludovico Carrione. Epigramma ejus, quod Floridum et Carrionem usque adeo offendit, sic se habet:

Amor Tibullo, Mars tibi, Maro, debet;
  Terentio soccus levis:
Cothurnus olim nemini satis multum;
  Horatio satyra et chelys:
Natura magni versibus Lucretii
  Lepore Museo illitis:
Epigramma cultum, teste Rhallo, adhuc nulli;
  Docto Catullo syllabae:
Hos si quis inter caeteros locat vates,
  Onerat, quam honorat potius.

Illius poematum examen criticum ex professo edidit Julius Caesar Scaliger poetices libro 6. cap. 4. quod incipit cum hac generali censura: " Marullus totus durus, morosus, aliorum ob- " trectator, sui admirator simul et diffidens. " Anxius enim quo dicat modo, haeret nego- " tiosus, omnino invenustus. Quem cum Cri- " nitus tantopere commendarit, accuratius per- " spiciendum est utra potior fuerit, amicitiane

[m] Emendat. l. II. c. XI.

" apud

" apud illum, an apud nos veritas", etc. Agnoſcit Scaliger non defuiſſe qui ſcripſerint de hymnis ejus, principes Latinae linguae viros a Marullo ſuperatos. De iſtis ipſe inter alia haec habet: " Quod ſpectat ad ipſum filum orationis, profecto nihilo conſtantius tumores Statianos ad humillimum ac maxime plebeium dicendi genus infeliciter dimiſit. Hoc enim viri illius ingenio maximo atque praeclariſſimo vitium fuit peculiare, ut magnifico ſpiritu ſcribere aggreſſus, elangueſceret in orationis tractu fervor ille: egregioſque primos illos impetus judicium deinceps deſtitueret, aut voluntas. Nam quibus in poematiis ſeſe voluit naviter exercere, verus ſane poeta eſt, ac divinus. Velut in elegia de exilio ſuo. Recta enim eſt, et plena, efficax, rotunda. Majus etiam numen afflavit illum in Martis hymno. Longe excellentius atque auguſtius in aeternitatis explicatione ſpirat. Pene enim ſolum poema illud univerſas illius famae rationes ſuſtinere poteſt."

Marulli defenſionem prolixam contra Scaligeri cenſuras, ab incerto quodam, compoſitam habes apud Jacobum Gaddium De ſcriptoribus tomo II. Nominatur a Gaddio perperam Marullus Tarcagnota.

Extat ad illum Michaelis Apoſtolii epiſtola Graeca in bibliotheca Vindobonenſi.

Marulli amicus intimus, et condiſcipulus ſub Pontano fuit Manilius Rhallus, Spartanus, epigrammatum ſimiliter Latinorum ſcriptor, archiepiſcopus demum Leonis X. favore Cretenſis ſive Epidaurenſis: qui obiit anno MDXVII. Fra-

trem habuit Nicolaum Rhallum ducem iſtum ſub quo militavit Marullus, patrem vero Demetrium Cabacium Rhallum, equitem Spartanum, qui ſepultus jacet Romae in templo S. Apoſtoli in regione trivii dicto, cum hac inſcriptione a Manilio compoſita:

Demetrio Cabacio Rhallo,
Equiti Spartano,
Qui
Nullum corporis incommodum expertus,
Nonageſimum aetatis annum
Menſes II. diem XXII.
Superavit.
Manilius ex Thomaide
Theodori Bocchali filia
Suſceptus
Parenti ſanctiſſimo ac B. M.
Sibique poſuit.

Si, genitor deflende, pius tibi debita natus
Juſta, ſepulturae munera ſi apta darem,
Conderer hic tecum; diſcat mea ſera ſenectus
Cum genere amiſſam rem patriamque mihi.

Ibidem.

Concordes animos, piaſque mentes,
Ut dicas licet unicam fuiſſe,
Commiſti cineres ſequentur, et ſe
Credi corporis unius juvabit.

De Manilio Gyraldus haecce: " Ex eadem " Pontani academia fluxere M. Marullus et " Manilius Rhallus ambo parentibus Graecis " nati, in Italia enutriti, Latinis tamen literis " magis imbuti, atque invicem amici, uterque " epigrammatum poeta, ſed Rhallo Marullus " cultior

" cultior argutiorque, Marullo Rhallus fortu-
" natior, quippe qui a Leone X. his menſibus
" Cretenſium ſit pontificatu honeſtatus. Ex-
" tant utriuſque varii generis epigrammata."

A Jovio dicitur [a] eruditi judicii vir Graecus.

Angelus Politianus: " [b] Manilius Rallus
" Graecus homo, ſed Latinis literis adprime
" excultus."

Habentur ad illum Marulli carmina aliquot, ab eoque inter unanimos ſuos ſodales recenſetur. Simlerus ait illum carmine Latino et Graeco complura ſcripſiſſe, ſed nulla is unquam vidit. Et forte non amplius extant ea, quae ſuo tempore, auctore adhuc ſuperſtite, extitiſſe ſcribit Gyraldus.

[a] In Muſuro. [b] Miſcel. c. LXXIII.

CAP. VII.

De MARCO MUSURO.

MARCUS MUSURUS, natu Cretensis, relictis in patria parentibus, juvenis in Italiam venit, quo patrem postea senem accivit, et apud se aluit. Joannis Lascaris in Italia discipulus fuit. Primum Patavii Graecos auctores praelegit, summa cum auditorum frequentia, tantaque diligentia, ut toto anno vix quatuor intermitteret dies quin publice profiteretur. Afflicta demum bellis Venetorum republica Gymnasium Patavinum deserere coactus est, et Venetias se conferre. Ubi easdem literas mercede publica, magnaque cum laude, docuit.

Anno MDX. cum Patavii adhuc commoraretur, dicavit ei Aldus volumen posterius scriptorum Graecorum rei rhetoricae, in epistola nuncupatoria his eum laudibus exornans:

" Si quisquam est, cui dicandi sint libri " Graeci excusi cura nostra, Musure doctissime, " is tu es, nam non solum profuisti semper, et " prodes assidue huic nostrae durae provinciae, " sed profiteris etiam in clarissimo gymnasio " Patavino Graecas literas, tanta frequentia studiosorum Graecarum literarum, ut miremur " omnes plurimum. Unde paucis admodum " annis multi a te docente periti Graecae lin" guae evaserunt. Quam quidem rem et La" tinis literis, quae a Graecis fluxerunt, et ipsis

" liberalibus disciplinis, quae a Graecis aucto-
" ribus traditae sunt, magnum adjumentum
" brevi allaturam esse, vel hinc colligi potest,
" quod aetate nostra jam fere omnes spreta bar-
" barie non minus Graece quam Latine aggre-
" diuntur."

De eo Venetiis profitente sic loquitur idem Aldus in praef. oratorum Graecorum ed. MDXIII. ad Franciscum Faseolum reip. Ven. a secretis : " Tua potissimum opera, tuo studio, Venetiae " hoc tempore Athenae alterae verae dici pos- " sunt, propter literas Graecas quarum studiosi " undique concurrunt ad Marcum Musurum, " hominem hujus aetatis eruditissimum, quem " tu publico stipendio conducendum curasti, " cuique, quae tua est in doctissimum quem- " que benevolentia, faves plurimum." Joannes Watsonus nostras epistola ad Erasmum data MDXVI. " Raphael regius Venetiis adhuc profi- " tetur Quintilianum impensis et mercede ex pub- " lico aerario. Doctus quidem ille et mediocriter " eloquens, sed longe infra alium ibi professorem, " qui Graecas literas praecipit etiam publica mer- " cede, cujus nomen excidit, qui et te novit op- " time, mirisque effert praeconiis." Respondet Erasmus, professorem istum, cujus nomen Watsono exciderat, Marcum fuisse Musurum.

Eodem anno, nempe MDXVI. Venetiis Romam a Leone X. accitus, procurantibus Alberto Pio, Carporum principe, et Joanne Lascare, archiepiscopus Epidaurius, sive Monovasiensis, Manilio Rhallo jam morte sublato, creabatur. Ejus promotionis jam recens factae meminit Andreas Asulanus praefatione sua in

Pausaniam, cujus impressio absoluta est mense Julio MDXVI.

" Haec autem a nobis praestari tibi potuerunt, " suasore adjutoreque M. Musuro, quem nu- " per Heroicarum literarum decus Venetiis pro- " pagantem, Graeciae priscis autoribus partim " illustri juventuti enarrandis non sine laude, " partim emendatione castigationeque in pri- " stinum nitorem, quoad ejus fieri poterat, re- " stituendis Leo X. Pont. Opt. Max. sponte " sua nihil tale cogitantem admirabili consensu " sacrosanctorum cardinalium in archiepiscopa- " lem dignitatem evexit. Quae res ut non " mediocrem sanctissimo pastori laudem peperit, " ita literatis ad bene sperandum certissimum " signum erexit." Ea vero dignitate brevi admodum tempore fruebatur; sed morbo intercute, sive, juxta alios, incognito quodam, correptus, anni sequentis autumno finem vitae suscepit. Sunt qui illum intempestiva siti dignitatis cardinalitiae, quod alios multos galero purpureo perornatos, se vero praeteritum, videret, contabuisse. Inter eos Jovius, cujus haec sunt verba: " Eam autem secundae fortunae celeri- " tatem quasi ab occultis fatis majora praemia " monstrarentur, immoderato animo tulit, sic " ut insana vehementique ambitione percitus, " novum illum sacratae mitrae honorem ne- " quaquam ingenii merito parem duceret, nul- " loque pudore praeproperus ad purpuram as- " piraret, quum saepe quereretur, Graeci ge- " neris neminem quasi probro gentis lectum fu- " isse, quando princeps in donanda purpura " maxime liberalis, uno comitiali die supra tri-

" ginta

" ginta nationum omnium delecta capita galero
" purpureo perornasset. Ab hac imtempestiva
" siti contabuit corpus adeo celeriter, ut ob-
" repente morbo intercute vix ostentatis mitrae
" insignibus expirarit.

Ab omni vero istiusmodi ambitione eum vindicat Gyraldus, a calumniatoribus ejus famam inique eo nomine maculari aegre admodum ferens: " Licet indigni (inquit) quidam tan-
" to collega eum decessisse prodiderint, quod
" iniquius tulisse videretur cardinales multos in-
" ter se creatos: nihil habentes aliud, quo ho-
" minem doctissimum ac modestissimum ca-
" lumniarentur. Sed infames illi sunt, qui de
" eo ista distulerunt, quando ille, ubicunque
" versatus est, bene de se audierit ab omnibus,
" totque ille post se reliquit discipulos insignes
" in omni literarum et morum disciplina, qui
" eos mentiri verbo et exemplo arguunt."

Moestitia illum morbum contraxisse subindicat quoque Pierius Valerianus, sed quae orta sit ex causa ambitioni plane contraria: " [c] Ne-
" que Marci Musuri sortem quisquam laetam
" dixerit, qui licet et Patavii et Venetiis apud
" nobilitatem vestram summa omnium com-
" mendatione et gratia complures annos Graecas
" literas docuisset, et doctrinae nomine ab Leo-
" ne X. Pont. Max. duplici flaminis honore
" decoratus, a Julio ejus pontificis fratre, tunc
" cardinali sacerdote, qui nunc est summus
" Pontifex, in amicitiam susceptus magna om-

[c] De Literat. Infelic.

" nium

" nium dilectione coleretur, nescio qua tamen
" animi moestitia clam exulceratus, ut qui non
" modo non dignitatem ullam, aut beneficii
" commodum in eo vitae colore duceret, qui
" hominum opinione judicatur amplissimus,
" sed sibi summa in libertate versari solito summam
" deformitatem et miseriam arbitraretur,
" in occultum ex ea cura incidit morbum, cujus
" nulli medicorum causa cognita, interque
" tacitas anxietates, miserrimasque fortunae suae
" deplorationes diutissime vexatus expiravit autumni
" tempore eodem anno.

Utcunque hoc fuerit: constat illum anno MDXVII. autumni tempore, paulo post magnam illam cardinalium creationem, quae facta est die calendarum Julii, vivere desiisse, quum nondum ad annum aetatis L. pertigisset. Id quod inde apparet, quod Erasmus, qui anno MDXVII. natus est annos tantum L. eum se fuisse juniorem testatur. De obitu ejus Erasmum per epistolam monet Petro Bombasio datam VI. Decemb. MDXVII. " Marcus Musurus, qui paulo ante
" Monovasiensis archiepiscopus esse coeperat,
" hoc autumno, Romae agens in communem
" abiit locum." Erasmus epist. ad Petrum Barbirium data pridie non. Mart. anno MDXVIII.
" Hic annus multos egregios viros tui similes
" absumpsit, Marcum Musurum Romae, jam
" archiepiscopum designatum," etc.

Tumulatus est Romae in aede S. Mariae de Pace, inscripto lapidi sepulchrali hoc epitaphio.

Musure!

Muſure! o manſure parum, properata tuliſti
Praemia! namque cito tradita, rapta cito.

Antonius Amiternus
Marco Muſuro Cretenſi,
Exactae diligentiae Grammatico,
Et rarae felicitatis poetae,
Poſuit.

Latomi:

Arma Pelaſgiacas quaterent dum Turcica terras,
Inveherent culto barbariemque ſolo:
Quid facerent Muſae? fugere, Helicone relicto,
Phocin, et Aſcraeum deſeruere nemus.
Regna Latina petunt: et erat Muſurus in illis:
Hoſpitio utuntur hoſpitis ante ſui.
Nunc etiam buſtum, grata pietate, ſepulti
Officii quavis ſedulitate colunt.
Theſpiacas frondes circum, et Permeſſida laurum,
Et ſacro ſpargunt ex Helicone thymum:
Caſtalias lymphas aliae. Et cape munera, dicunt,
Muſure, Aonii factus Apollo chori.

Praefationes ejus Graecae, et epigrammata aliquot ſparſim habentur in voluminibus Graecis, quae tum temporis prodierunt typis excuſa. Praemittuntur ejus praefationes Ariſtophanis comoediis editis ab Aldo una cum ſcholiis Graecis MCCCCXCVIII. Etymologico Magno edito a Nicolao de Blaſto MCCCCXCIX. et Pauſaniae edito in aedibus Aldi MDXVI.

Epigrammata ejus leguntur praefixa Lexico-Graeco-Lat. una cum Ammonio edito ab Aldo MCCCCXCVII. Etymologico modo dicto; et Muſaeo in Aldi aedibus ed. MDXVII. Sed longe excellit

excellit elegia Graeca, qua Platonis opera edita ab Aldo MDXIII. praemunivit; partim in Platonis laudes, partim Leoni X. offerens istam editionem, illiusque patrocinium ambiens, et partim illum ad bellum Turcicum excitans. Cujus carminis gratia maxime creditur factus fuisse archiepiscopus.

In indice Thomasiniano codicum MSS. Baroccianorum occurrit hujusmodi "Poema Marci "Musuri Cretensis, cui titulus MUSEUM." Et in Labbaei catalogis dicitur extare in cod. reg. Parisino MDCCCCXVII. "Marci Musuri in Mu-"saeum." Hujusmodi inscriptionibus existimo nihil aliud revera designari quam epigrammata ejus bina, quae extant, in Musaeum poetam.

Non desunt, qui ei praesertim, tanquam recognitori, adscribunt quaecunque fere volumina Graeca ex Aldi officina prodiere: ut continuator chronici Philippi Bergomatis ad annum MDXVI. "Marcus Musurus, natione Graecus, Venetiis "floret, summo vir ingenio, industria longe "majori, praesertim in versibus Graecis con-"scribendis. Sub quo dedit operam Lazarus "Bonamicus Bassianas, nostrae aetatis singulare "quoddam ornamentum. Caeterum Musurus "plurimos libros Graecos Aldo imprimendos "tradidit atque emendavit; ut etiam anti-"quissima volumina, quibus hodie utimur, illi "accepta referre debeamus."

Opinatur etiam Gesnerus praefuisse illum corrigendis voluminibus Graecis quotquot Venetiis ediderit Nicolaus Blastus. Hoc saltem dubitari vix potest, quin omnibus illis voluminibus Graecis, sive ab Aldo sive a Blasto editis, quae ejus praefa-

praefationibus vel epigrammatis praemuniuntur, emendandis atque recognoſcendis operam navaret.

De Platonis operibus ab Aldo editis conſtat, quod ea accurate recognovit cum antiquiſſimis conferendo exemplaribus. Id quod ipſe profitetur Aldus in epiſtola ad Leonem pontificem nuncupatoria. Ex eadem epiſtola, quae ad Leonem jam recens ad pontificatum evectum ſcripta eſt, intelligimus cum Muſurum tum Aldum voluiſſe Leoni perſuadere ut Romae academiam quandam inſtitueret, in qua ipſi praeſides conſtituerentur. "Amici me monuerunt, ut nulli " magis divini hominis lucubrationes, quam " tibi ſummo divinarum rerum antiſtiti, nun- " cuparentur, ſperantes eam rem academiae, " quam tot annos parturimus, mirum in mo- " dum profuturum, ut ſcilicet nos foveas, pro- " vinciamque hanc noſtram maximi cujuſquam " principis favore ac auxilio digniſſimam am- " plectaris, ac potius eam ipſam academiam, " ſempiternum bonum hominibus tu pontifex " max. in urbe Roma cures inſtituendam. " Quorum unus et praecipuus eſt Muſurus " Cretenſis, magno vir judicio, magna doctri- " na, qui hos Platonis libros accurate recogno- " vit cum antiquiſſimis conferens exemplaribus, " ut una mecum, quod ſemper facit, multum " adjumenti afferret et Graecis et noſtris ho- " minibus. Quapropter non minus quam nos " pacem deſiderat: aeque ac nos et ipſe, ut " tuo ſumptu, tuis opibus fiat academia, rogat, " id quod ex ejus docta et eleganti ac gravi

" elegia

" elegia Graece compoſita, quae ſequitur, facile " eſt cognoſcere."

Ariſtophanis editioni Aldinae non modo videtur praefuiſſe corrigendae, ſed et ſcholia illa Graeca vetuſtiſſima atque optimae notae e variis exemplaribus collegit correxitque, ut ad finem Avium monetur: Ἀριστοφάνους κωμῳδιῶν ἑπτὰ καὶ τῶν εἰς αὐτὰς σχολίων ἀρχαίοις συντεθέντων γραμματικοῖς, ἃ δὴ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κείμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένως, συνείλεκταί τε καὶ ὡς οἷόν τ' ἦν ἐπιμελέστατα διώρθωται παρὰ Μάρκου Μουσούρου τοῦ Κρητός.

Quin et patet illum editionibus Aldinis librorum aliorum, ubi comparent illius nec praefationes nec verſiculi, recognoſcendis praeſediſſe. Athenaeus ed. MDXIV. in ipſa fronte dicitur a Muſuro fuiſſe correctus. Et in dedicatione ad Janum Vyrthesim Pannonium, Muſuri diſcipulum, dicitur " ſic accurate recenſuiſſe Athenaei " libros collatos, et cum multis exemplaribus " et cum epitomate, ut infinitis pene in locis " eos emendaverit, carminaque quae veluti " proſa in aliis legebantur, in ſua metra reſti- " tuerit."

Heſychii quoque Lexicon, ex unico, quod tum noſcebatur, exemplari, eodem anno impreſſum, recognovit, licet curſim, ac emendavit.

Paulo ante obitum, dum Romae egit, anno MDXVII. e Graeco Latine vertit auctoris incerti De podagra libellum. Quae verſio extat inter Medicae artis principes ab Hen. Stephano ed. MDLXVII.

Ad

Ad illum ſcribitur epiſtola Graeca Demetrii Ducae Cretenſis, quae praefigitur rhetoribus Graecis ab Aldo ed. MDVIII.

Michaelis Apoſtolii ad eum epiſtola MS. ſervatur in bibl. Vindobonenſi.

Eraſmus epiſt. ad Jodocum Gaverum [k] de eo haec ſcribit: " Patavii vidi Raphaelem Re-
" gium. Erat tum, ut opinor, non minor
" annis LXX. et tamen nulla fuit hiems tam
" aſpera, quin ille mane hora ſeptima adiret
" M. Muſurum Graece profitentem, qui toto
" anno vix quatuor intermittebat dies, quin
" publice profiteretur: juvenes hiemis rigorem
" ferre non poterant, illum ſenem nec pudor
" nec hiems abigebat ab auditorio. Muſurus
" autem ante ſenectutem periit, poſteaquam
" ex benignitate Leonis coeperat eſſe archie-
" piſcopus, vir natione Graecus, nimirum Cre-
" tenſis, ſed Latinae linguae uſque ad miracu-
" lum doctus, quod vix ulli Graeco contigit
" praeter Theodorum Gazam et Joannem Laſ-
" carem, qui adhuc in vivis eſt. Deinde to-
" tius philoſophiae non tantum ſtudioſiſſimus,
" vir ſummis rebus natus, ſi licuiſſet ſupereſſe.
" Quodam die quum domi ipſius coenaturus
" eſſem, et adeſſet pater ſeniculus qui nihil niſi
" Graece ſciebat, jamque in Chernibe, ut fit,
" alius alii deferret, ego, ut finirem moram in-
" utilem, arrepta patris manu, dixi Graece,
" ἡμεῖς δύο γέροντες, mire exhilaratus ſenex, lavit
" mecum. Quanquam id temporis haud ma-
" jor eram Muſuro. Muſurus autem amplecti-

[k] Epiſt. 5. Lib. 23.

" tur

" tur Zachariam juvenem eximie doctum, καὶ
" ἡμεῖς, inquit, δύο νέοι.

Idem in Ciceroniano: " M. Musurum pro-
" pius novi, virum insigniter eruditum in omni
" disciplinarum genere, in carmine subobscu-
" rum et affectatum: oratione prosa, praeter
" unam alteramve praefationem, nihil quod
" sciam reliquit. Mirabar hominem Graecum
" tantum scire Latine. Et hunc fortuna re-
" traxit a Musis: dum Leonis favore Romam
" accitus incipit archiepiscopus esse, fato prae-
" reptus est."

Beatus Rhenanus in epistola ad Carolum V. imp. de vita Erasmi: " Patavii doctissimorum
" virorum Marci Musuri Cretensis, et Scipionis
" Carteromachi Pistoriensis usus est commer-
" cio, quorum humanitatem saepe me audiente
" depraedicare solet, expertus candorem non
" semel, dum in corruptis Graecorum autorum
" exemplaribus manu descriptis, quorum mag-
" nam partem Aldina bibliotheca suppeditabat,
" viz. Pausania, Eustathio, Lycophronis inter-
" prete, Euripidis, Pindari, Sophoclis, Theo-
" criti, similiumque commentariis, horum ex-
" quirit judicium. Nihil erat tam reconditum
" quod non aperiret, nec tam involutum quod
" non expediret Musurus vere Musarum custos
" et antistes. Omnia legerat, excusserat om-
" nia. Schemata locutionum, fabulas, histo-
" rias, ritus veteres ad unguem callebat. Hanc
" tam consummatam eruditionem etiam in-
" signis pietas commendabat, dum patrem
" Graeculum jam grandaevum amanter sedulo-
" que fovet."

Ambrosius

Ambrosius Leo de Nola lib. 3. c. 3. " Me
" quoque inter hosce connumerato, qui maxi-
" mis amicitiae vinculis connexus sum cum
" Marco Musuro Cretensi, viro optimo gravissi-
" moque, ac in utraque lingua et doctissimo et
" facundissimo, omnique scientiarum genere or-
" natissimo."

Gyraldus: " Jure et merito cum his connu-
" merandus est M. Musurus et ipse Cretensis,
" qui Venetiis publice Graecos auctores prae-
" legit, summa cum auditorum frequentia, qua
" in re divinam prope eruditionem ostentabat,
" Graecis Latina, Latinis Graeca apte compo-
" nens, unde perquam multi in praeclaros
" utriusque linguae viros evasere. Scripsit epi-
" grammata multa, quorum aliqua sunt edita.
" Legitur et libellus, seu encomium in Plato-
" nem Graeco Elego carmine doctissime concin-
" natum," etc.

Jovius: " M. Musurus genere Cretensis, ex-
" actae diligentiae grammaticus, et rarae feli-
" citatis poeta" [non suo haec judicio, sed ex
ejus epitaphio furtim transcripta] " in gymna-
" sio Patavino aliquandiu Graecos auctores in-
" terpretatus, secunda perspicacis ingenii fama
" ad integram doctrinae maturitatem pervenit:
" sed saeva conjuratione externarum gentium
" afflictis bello Venetis, inde exturbatus, ita
" tranquillum otium quaesivit, ut Graeco car-
" mine divi Platonis laudes elegantissime decan-
" taret. Extat id poema, et in limine operum
" Platonis legitur, commendatione publica cum
" antiquis elegantia comparandus. Leone au-
" tem ingeniis illustribus praeclara praemia pro-

" ponente, Romam venit. Nec multo post
" Manilio Ralla eruditi judicii viro Graeco
" morte sublato, archiepiscopus Epidaurensis
" effectus est."

Floridus Sabinus sylloga 5. lect. subsiciv. c. 3.
" Itaque cum nihil ferme nostris auribus tritius
" sit, quam, cum multos video, aut etiam ex
" lucubratiunculis quibusdam cognosco, qui bo-
" nis se literis mancipatos esse omnibus esse
" perspicuum velint, illud protinus subjungi,
" hic Erasmi se, ille Budaei discipulum prae-
" dicat, hic a M. Musuro, ille a Lazaro Phi-
" lagatho, alius a Lascare, aut a Lampridio,
" similibusve doctissimis viris, Graecas literas
" didicisse gloriatur," etc.

A Stephano Nigro quomodo laudetur, vide supra in CHALCONDYLE.

G. Vossius ait " praeclarum ejus ingenium
" satis testari pauca illa epigrammata; inter
" alia illud Platonis operibus praefixum."

De successore Venetiis in locum ejus eligendo haec legimus in epistola Ambrosii Leonis Nolani ad Erasmum scripta XIV Cal. Aug. MDXVIII.
" Scias in senatu Veneto sancitum esse, atque
" etiam praeconio publicatum, eligendum esse
" successorem Marco Musuro, qui publice Grae-
" cas literas auditores doceat: stipendiumque
" centenorum aureorum decretum. Eam ob
" rem quam plurimi se parant et competunt.
" Namque statutum est tempus duorum men-
" sium, quo competitores et nomina dent, et
" legendo et aperiendo Graecos autores osten-
" dant qui viri sint, et quantum lingua et in-
" genio polleant. Si quis ergo forte fuerit,
" qui

" qui per iſta climata nomine et ſcientia Grae-
" carum literarum clareſceret, huic ipſi ſignifi-
" cato memoratum decretum, ut ſi animo ei
" ſederit competere aperireque Graecanicos li-
" bros, huc intra duorum menſium curriculum
" ſe conferat. Ad haec noſti magnam audito-
" rum turbam, qui veluti pullicini ſub glo-
" ciente Muſuro pipiebant, illorum non pauci
" jam pullaſtri magni evaſerunt, nec pipiunt,
" ſed pipant et cantillant, iidem magno animo
" ſunt etiam aſcendendi ſuggeſtum praeceptoris.
" Atque inter eorum elegantiores unus Petrus
" Alcyonius, etc.

CAP. VIII.

De CRETICO, ANGELO CALABRO, NICOLAO SOPHIANO, MICHAELE SOPHIANO, GEORGIO ALEXANDRO, JOANNE, GEORGIO, et DEMETRIO MOSCHIS, EMANUELE ADRAMYTTENO.

INTER professores literarum humaniorum, qui in variis Italiae academiis sub Sixto IV. claruerunt, recensetur a [n] Sabellico CRETICUS, qui Patavii professus est et humanitatis studia atque philosophiam: " Leonicum et Creticum " philosophiae studia proposito averterunt, sed " utrumque recte faciunt". Idem Sabellicus in Epist. ad Benedictum Trivisanum Patavii praetorem: " Audio hic pro collegio sapientum de " salario et mercede Cretico augenda agitari: " philosophatur is Graece et Latine, multa ce- " lebritate nominis in isto clarissimo gymnasio: " ego, qui doctis libenter faveo, nihil a meo " officio alienum duxi hominem eruditissimum " tuae amplitudini commendare, ea dico com- " mendatione, quae diligentissima esse potest " omnibus tuis in me officiis, quae multa et " magna esse fateor: hoc certe erit amplissi- " mum, si cum mea causa, tum tuo veteri in- " stituto, humanitas tua bonas artes in hoc ho-

[n] Ennead. x. l. 8.

" mine

" mine fuerit complexa," etc. In alia ad Novellinum, hortatur eum uti curaret ut filius ſuus Marius, Novellini fidei Patavii creditus, Creticum Graece audiret. Hunc Graecum fuiſſe intelligimus ex ejuſdem Sabellici elegia quadam ad illuſtres ſui ſeculi poetas:

Creticus Argivis adſit revocatus ab oris,
 Et tibi qui fuerat, Cretice magne, comes.

Extat ad illum epigramma inter poemata Titi Veſpaſiani Strozae, et aliud inter carmina Ludovici Bigi.

ANGELUS, Graecus, ab Ughello, in Italiae ſacrae tom. IX. dicitur fuiſſe " Juris utriuſque " doctor excellens, regis Neapolitani orator, " poeta illuſtris, eximia eruditione ornatus," et praeſul in Calabria Marturanenſis creatus fuiſſe XV Cal. Jan. MCCCCLXIII. Illius cum laude meminit Ambroſius Leo lib. IV. cap. 6. hiſt. Nolanae urbis. Erat is haud dubie idem cum Angelo Calabro, ſive Italo-Graeco, Conſtantini Laſcaris diſcipulo, cujus extitit in bibliotheca Caroli de Montchal archiepiſcopi Toloſani oratio *εἰς τὰ βαΐα*, quae egit de ſeptem donis palmae et oleae: ad marginem his adſcriptis: *ἀββᾶ Ἀγγέλου τοῦ Καλαβροῦ φοιτητοῦ Κωνσταντίνου Λασκάρεως τοῦ Βυζαντίου.* Fato functus eſt an. MCCCCLXXXV.

NICOLAUS SOPHIANUS, Corcyraeus Graecus, Romae primum Graecas literas docuit, deinde Venetiis. De machinis bellicis librum ad card. Beſſarionem ſcripſit, qui Venetiis in Beſſa-

rionis bibliotheca adſervatur. Edidit etiam tabulas Graeciae ſcitiſſime depictas cum nominibus locorum antiquis et recentioribus, Romae primum, et poſtea anno MDXLIV. Baſileae apud Jo. Oporinum excuſas. Quas tanti fecit Nic, Gerbelius Germanus, ut Iſagogen, ſive commentarium in eas eruditiſſimum ediderit, ſub titulo "Pro declaratione picturae ſive deſcriptio-" nis Graeciae Nic. Sophiani libri VII." Eumque dicit "nunquam ſibi ſine honoris praefa-" tione nominandum eſſe." Idem de eo: Nicolaus Sophianus, "vir (ut ego quidem ſentio)" ſpectatae virtutis et eruditionis, cum tantas "hiſtoriae utilitates animo perſpiceret, quo ma-" jore cum fructu, atque nonnulla etiam cum "voluptate, ſtudioſi in hiſtoriis verſari poſſent," conſilio pulcherrimo ac prope divino, de-" ſcriptionem hanc Graeciae ex optimis utriuſ-" que linguae ſcriptoribus collectam, in hanc "elegantiſſimam picturam redegit." Scripſit quoque libellum Graecum De Aſtrolabio.

Raph. Volaterranus Anthropologiae lib. XXI. poſtquam locutus fuiſſet de Chryſolora, Beſſarione, Trapezuntio, Gaza, Andronico Theſſalonicenſi, Argyropylo, Chalcondyle, et Conſtantino Laſcari; Marullo et Muſuro ſilentio praeteritis, de Sophiano et Georgio Alexandro, profeſſoribus Graecis, loqui pergit. "Sophianum vero (in-" quit) qui Romae praecipiebat, ſimul et Geor-" gium Alexandrum praeſulem Cretenſem, qui "nuper etiam in urbe docuit, inter praecep-" tores ponam Graecae diſciplinae, quanquam "Latinam parum attigerint, nec cum ſupra-" dictis vel in patria lingua conferendi, moribus

" alioquin

" alioquin humanissimis, vitaeque probitate,
" quae una maxima est laus, forte superiores."

Cum libellum suum De machinis Bessarioni card. dicavit, inde ejus dignoscitur aetas; ad tantam tamen senectutem pervenit, ut etiam ad annum Christi minimum MDXLIV. pertingeret. Gesnerus enim in bibliotheca quam edidit anno MDXLV. ait se illum Venetiis ante sesquiannum convenisse: a Simlero male dicitur claruisse an. MDXLVIII. quasi tum potissimum claruerit. Rectius dicitur a G. Vossio [k] docuisse Romae an. MCCCCLXXX.

Illius, ut videtur, filius erat Michael Sophianus, professor Patavinus, quem juvenem Graecarum literarum peritissimum appellat Franc. Robortellus in Aeschyli praefatione scripta an. MDLII. cujusque conjecturas in Aeschylum una cum suis idem emisit. Extat ejusdem versio Aristotelis de anima librorum III. edita Lipsiae an. MDLXIX.

Ob Aeschyli emendationes, dicitur vir doctissimus et praestantissimus a Gul. Cantero novarum lectionum lib. III. c. V. Ejusdem tanquam hominis Graece peritissimi meminit Hen. Stephanus in prooemio poetarum Graecorum principum heroici carminis. A Paulo Manutio in epistolis dicitur " probus juvenis, sibi amicissi-
" mus, Graecarum literarum scientia sine du-
" bio singularis." In alia anni MDLXII. " Tibi
" ad Carolum Sigonium et Michaelem Sophia-
" num, praestantes viros, mihique et studiis et
" amore conjunctissimos, cur literis opus esse

[k] Scient. Math c. 69.

 " commen-

" commendatitiis exiſtimem? quaſi non eorum uterque ut doctrina, ſic etiam humanitate, excellat. "Extat ejuſdem ad Michaelem epiſtola, ubi inter caeteras ejus laudes, " Cui porro (inquit) ignota eſt, vel ingenii tui, vel memoriae praeſtantia? quibus non modo ut emineres in Graeca lingua, id quod omnes fatentur, ſed ut, quacunque re propoſita, peritiſſime diſputes, facile conſecutus es. Itaque jure expetitur a nobiliſſimis viris amicitia et conſuetudo tua: jure te diligunt ac laudant, quicunque in Patavino gymnaſio doctrinis liberalibus excellunt," etc.

Georgii Alexandri, Romae profeſſoris, poſtea Cretenſium praeſulis, quem, una cum Nicolao Sophiano commemorat laudatque Volaterranus, mentionem rurſus invenio in fine Pſalterii Graeci editi Ven. MCCCCLXXXVI. ab ipſius filio, qui ſe Alexandrum ex Chandace Cretae nominat. *Σύνθεσις ἐμȢ̃ Ἀλεξάνδρȣ τȢ̃ ἀπὸ τȢ̃ Χάνδακος τῆς Κρήτης· ὑὸς δὲ (l. ὑȢ̃) τȢ̃ σοφωτάτȣ καὶ λογιωτάτȣ κυρȢ̃ Γεωργίȣ ἱερέως τȢ̃ Ἀλεξάνδρȣ.*

In Allatii opere De Georgiis peculiari illius nulla fit mentio, niſi forte ſuſpiceris illum eundem fuiſſe cum Georgio e Coreliano Calabriae in Hydruntinorum finibus oppido oriundo, cujus verſio Graeca Guidonis de Monte Rochen Manipuli curatorum aſſervatur in Vaticano; quique ſe in alio opere Graeco, inſcripto De timore divinorum judiciorum, inſcribit *Sacerdotem Georgium, familia Alexandrorum, e regione Coriliana*; ὁ ἱερεὺς Γεώργιος ὁ τῶν Ἀλεξάνδρων ἀπὸ χώρας Κοριλιάνης. Aetas convenit,

Floruit

Floruit enim hic ſub Ferdinando Neapolitanorum rege. Eum alium tamen et diverſum a Georgio Alexandro profeſſore Romano Cretenſiumque praeſule fuiſſe, vel exinde colligatur quod ſermone inculto et barbaro hic ſcribit, nec fuiſſe unquam epiſcopum factum, ſed uſque ad obitum in oppido patrio vixiſſe, ab Allatio innuitur.

JOANNES MOSCHUS Lacedaemonius, praeceptor M. Ant. Antimachi, de quo Antimachus a Gyraldo in dialogo introducitur ſic locutus: "Fuit et Joannes Moſchus, praeceptor meus, "Lacedaemonius, vir ſane in omni et virtu"tum et ſcientiarum genere, non ſolum meo "judicio, ſed totius Graeciae excellentiſſimus, "ſub cujus diſciplina quinquennium moratus "ſum, cujus ſtudium in me tam ſingulare ex"titit, ut non praeceptorem ſed parentem "nactus viderer. Hunc ergo ob ſingularem "ejus doctrinam, et politum dicendi genus "cum ſoluta oratione ſcribendi, tum in pan"gendis carminibus, cum Theſſalonicenſes ad "civitatem illam ampliſſimam atque opulen"tiſſimam erudiendam publica pecunia con"duxiſſent, dum itineri maturando ſeſe ac"cingeret, et ego quoque eum ſequi ſtatuiſſem, "quo multa adhuc ediſcerem, acutiſſimo morbo "correptus, quinto quo aegrotare coeperat die, "maximo omnium moerore deceſſit." Epitaphium de Luca Notara Conſtantinopolitano Magni Ducis titulo nobilitato, qui poſt excidium urbis, una cum duobus filiis Turcarum tyranni juſſu enſe percuſſus eſt, ſcripſit, cujus partem

tem legere eſt apud Allatium De eccl. occid. et orient. perp. conſenſ. l. 3. c. 4. §. 5.

Reliquit hic liberos duos, qui paterna veſtigia ſectati literis operam navarunt, GEORGIUM et DEMETRIUM. Hic compoſuit carmina plurima, epigrammata, elegias. Comoedias, non in publicum, ſed amicis duntaxat intimis exhibuit, heroicum vero carmen aggreſſus de Helena, palam omnibus excuſum typis legendum tradidit, in quo mira eſt facilitas. Compoſuit et orationes quaſdam, ſed et commentariolum in Orphei de lapidibus opuſculum in gratiam Joannis Franciſci Pici. Venetiis primum, mox Ferrariae, et Mantuae diverſatus eſt, quibus in locis multos habuit diſcipulos. Mirandulae etiam cum Picis aliquandiu verſabatur. GEORGIUS Corcyrae ſubſtitit; medicinae et oratoriae artis profeſſor. Haec de Moſchis Gyraldus, qui una cum Demetrio Ferrariae cum Rhangonis, et Mirandulae cum Picis aliquandiu convixit. Demetrii poema Graecum de Helena cum Pontici Virunii Latina verſione Rhegii excudebatur. Ejuſdem argumentum in Orpheum De lapidibus ab Aldo eſt editum MDXVII. Idem Orphei opuſculum cum gloſſulis Demetrii Moſchi ſervatur MS. in bibl, regis Galliarum.

DE EMANUELE ADRAMYTTENO Cretenſi, Joannis Pici Mirandulani comitis praeceptore, haec legimus in Aldi Manutii epiſtola quadam ad Angelum Politianum: " Annum " abhinc tertium, quo Veneti Ferrariam op" pugnabant, me ut vel Dei (ut aiunt) ne dum " hominum

" hominum bellum fugerem, ex urbe Ferra-
" ria Mirandulam contuli ad Joannem Picum,
" principem aetatis noſtrae doctiſſimum, quod
" et amaret literatos viros et faveret ingeniis.
" Ibi Emanuel Adramyttenus, familiariſſimus
" meus, tuam mihi Graecam, quam ad ſe de-
" deras, oſtendit epiſtolam.——Deinde Ema-
" nuel ſuo cum principe Ticinum profectus eſt,
" ubi paucis ante menſibus, quam ad te ſcri-
" berem, exceſſit e vita. Cujus interitu ita
" quidem moveor, ut multis annis gravius nihil
" aut moleſtius tulerim. Erat enim homo et
" moribus apprime ornatus, et Graecis literis
" ſane quam doctus, meique amantiſſimus,"
etc. Politianus in reſponſione ad Manutium:
" Facit, ut in ea mihi epiſtola faveam, non-
" nihil Emanuel ipſe Adramyttenus, qui re-
" ſpondens ita prorſus ultra modum laudavit,
" ut omnibus me ſuis Graecis, quicunque ali-
" quot ante ſeculis ſcripſerunt, hominem citra
" mare natum, non dubitaverit anteferre. Ju-
" rare illum ſolitum quoque Picus meus literis
" ſignificat, dum legeret hanc epiſtolam, ne
" ipſas quidem tam eſſe Athenas Atticas. Quare
" placerem profecto mihi Graeci hominis teſti-
" monio, niſi Cretenſis fuiſſet Emanuel. Et-
" enim hoc genus ut mendaces notavit Epi-
" menides: qui tamen et ipſe Cretenſis, ut
" mentiri non minus potuerit: ideoque non
" mendaces illi."

Idem ad Picum: " Tibi debere me multis
" nominibus intelligo, quae ſingula enumerare
" non eſt conſilium: ſed acceſſit meritis erga
" me tuis Manuelis noſtri, viri doctiſſimi ele-

" gans epiſtola, Hymettio illo, unde ſcil. eam " legit, melle, atque omni nectare dulcior."

Erotemata Emanuelis Cretenſis ſervantur apud Venetos in bibliotheca S. Antonii. Et monet Simlerus in Italia latere Manuelis Cretenſis in imagines Philoſtrati ἐπιμερισμοὺς, aliaque quaedam. Hunc vero exiſtimo non alium fuiſſe quam Emanuelem Moſchopulum, eundemque cum illo Manuele Cretenſe Maximi Planudis cognato, cujus mentio fit in codice regio Pariſino 800. ubi haec habetur epigraphe: " Georgii diaconi Metochitae de proceſſione Spiritus " Sancti libri v. reſponſio ad tria capita, quae " propoſuit Maximus Planudes: et reſponſio " ad ea, quae ſcripſit Manuel Cretenſis cognatus." Non neſcio tamen Moſchopulum, non Cretenſem, ſed Byzantinum, ab aliis dici: Byzantinum forte genere vel incolatu, natu Cretenſem.

CAP. IX.

De ZACHARIA CALLIERGO, NIC. BLASTO, ARSENIO MONEMBASIENSI ARCHIEPISCOPO, ARISTOBULO APOSTOLIO; DEMETRIO DUCA NICETA PHAUSTO.

UT Jo. Lascaris et M. Musuri liberali labori librorum Graecorum priscorum complurium editiones acceptas referimus, sic multorum aliorum publicationem debemus aliis quibusdam Graecis literatis ejusdem aetatis.

Zachariae imprimis Callierco (alias Calloergo, Caliergo, Callergo, sive Calergo) Cretensi, typographo, qui Venetiis primo versabatur, deinde Romae. Illius praecipue cura ac studio exivit Etymologicum magnum Ven. MCCCCXCIX. Simplicii commentaria in Aristotelis categorias, ibidem eodemque anno: Pindarus cum scholiis Graecis ab ipso e variis exemplaribus collectis, Romae MDXV. Theocritum prius ab Aldo editum, additis Idylliis nonnullis antea non divulgatis, una cum scholiis Graecis e variis codicibus vetustis abs se collectis, praefatione sua Graeca praemissa, edidit idem Romae. MDXVI. Ab eodem impressum est Varini Phavorini Lexicon Graecum Romae MDXXIII.

A Gyraldo commemoratur his verbis: " Est

" et

" et apud Cretenſes nobiliſſima Calloergorum
" familia, ex qua et alii floruere viri praecellentes, et nunc maxime illuſtris Antonius,
" qui cum omni nobilitatis virtute floret, ideoque imprimis gratus S. R. Q. P. Venetae. Fuit
" et inter hos Zacharias Calloergus, qui tum
" Venetiis, tum Romae verſatus eſt, ubi et
" publicavit typis Graecis excuſos Pindarum
" cum commentariis, et Theocritum, aliaque
" nonnulla."

Ab Eraſmo [1] dicitur juvenis eximie doctus.

NICOLAI BLASTI Cretenſis auſpiciis et impenſis prodiere aliquot eorum, in quibus edendis laboravit Calliergus, ut Etymologicum magnum, et Simplicius in Categorias. Ad finem Etymologici: *ἀναλώμασι μὲν τοῦ εὐγενοῦς καὶ δοκίμου ἀνδρὸς, κυρίου Νικολάου Βλαστοῦ τοῦ Κρητὸς, παραινέσει δὲ τῆς λαμπροτάτης τε καὶ σωφρονεστάτης κυρίας Ἄννης θυγατρὸς τοῦ πανσεβεστάτου καὶ ἐνδοξοτάτου κυρίου Λουκᾶ Νοταρᾶ ποτὲ μεγάλου δουκὸς τῆς Κωνσταντινοπόλεως, πόνῳ δὲ καὶ δεξιότητι Ζαχαρίου Καλλιέργου τοῦ Κρητός.* Ejuſdem impenſis, abſque ulla Calliergi mentione, prodire dicuntur Venetiis MD. Ammonii in praedicabilia commentaria.

ARSENIUS, Monembaſiae archiepiſcopus, ſcholia Graeca in Euripidis tragoedias e variis codicibus manu exaratis, in Creta, Venetiis, et Florentiae, collegit, et in lucem emiſit Ven. MDXXXIV. una cum praefatione ſua Graeca ad

[1] Epiſt. l. XXIII. ep. 5.

Paulum

Paulum III. pontificem longiuſcula. A Simlero perperam ei tanquam autori adſcribuntur.

Idem in unum faſciculum congeſſit, ediditque Romae Heraclidis in Homerum allegorias; ex Porphyrii philoſophica Acroaſi quaedam; ex Clementis ſtromatibus nonnulla de furtis auctorum; ſententias ex variis auctoribus de vanitate vitae; Michaelis Pſelli Iambos in vitia et virtutes; ejuſdem anagogas in Tantalum; allegoriam de Sphinge; anagogen in Circen quae volebat Ulyſſen transformare; carmina quaedam Joannis Tzetzis. Quem centonem rurſus edidit Geſnerus Baſ. MDXLIV. Qui in praefatione de Arſenio, illiuſque alio opere, ſic ſcribit: "Arſenius hujuſmodi centonibus delectatus eſt. "Nam et Venetiis nuper apud quendam Graecum, qui ſe Arſenii affinem aiebat, ſatis magnum volumen vidi totum ex Joannis Stobaei noſtri collectaneis decerptum, ordine ſolum inverſo quantum ex brevi tum temporis inſpectione mihi judicare licuit. Quod ideo "hic narro, ut ſi quando forte liber ille exiverit, ambitioſas hujuſmodi fraudes aliena "uſurpandi pro ſuis ſtudioſi intelligant."

Edidit idem Romae opuſculum ab iſto diverſum, quanquam ejuſdem generis, quod continet apophthegmata philoſophorum, imperatorum, rhetorum, et poetarum ordine alphabetico juxta nomina auctorum. Epiſtola ejus ad card. Rodulphum ſervatur in bibliotheca regis Gallorum. De eo ſic Gyraldus: "Fuit et inter Graecos "poetices non ignarus habitus Arſenius Monembaſae Epiſcopus, qui et Venetiis et Ro-

"mae

" mae versatus sub Leone X. pontifice maxi-
" mo; cui et Graecum obtulit libellum a se
" concinnatum ex diversis autoribus, tum pro-
" sa, tum carmine."

Aristobulus Apostolius, hierodiaconus, Michaelis Apostolii filius, publici juris fecit tragoediolam incerti Graecam, cui titulus Γαλεομυομαχία, i. e. *felium et murium pugna*, cum praefatione sua Graece. Ubi pollicetur se publicaturum patris sui Ioniam, h. e. collectionem sententiarum et apophthegmatum ab eo consarcinatam dum Romae versabatur. Ejusdem epigrammation Graecum praefigitur operi inscripto, Thesaurus cornucopiae et horti Adonidis ed. ab Aldo MCCCCXCVI. ubi nominatur Aristobolus Apostolides.

Demetrius Ducas Cretensis in Italia egit usque ad annum MDVIII. quo tempore epistola ejus Graeca ad M. Musurum praefixa est volumini primo Graecorum rhetorum ab Aldo Venetiis editorum. In Hispaniam postea vocatus est ab amplissimo cardinali Ximenio, ut Bibliis Complutensibus, quoad Graeca, edendis operam navaret. In fine Testamenti Novi istic editi an. MDXIV. legitur ejus epigramma Graecum, et ejusdem esse videtur praefatio Graeca, quae eidem T. Novo praemittitur. Recensetur ab Alvaro Gomecio [m] inter illos eruditos viros, quos ad nobile illud opus adornandum ac perficiendum cardinalis ille illustrissimus ad se accer-

[m] De Ximenii rebus gestis, I. 2.

sivit;

ſivit: inceptum autem eſt opus an. MDII. Eundem fuiſſe opinor cum Demetrio illó Graeco, qui libellum Galeni ſpurium De oculis in Latinum tranſtulit.

In idem opus Bibliorum Complutenſium operam ſtudiumque impendit NICETAS PHAUSTUS, cujus, una cum Demetrii, habetur epigramma Graecum ad finem ejuſdem T. Novi. Aliud ejus in Italia adhuc verſati epigramma Urbani Grammaticae Graecae praefixum habetur.

CAP. X.

De JUSTINO CORCYRAEO, aliisque quibusdam inter Graeciae eruditos connumeratis.

INTER Graeciae eruditos connumeratus est JUSTINUS CORCYRAEUS, miro ingenio adolescens, Graeceque sane quam eruditus. Una cum Thoma Linacro nostrate aliisque viris doctis, ab Aldo in praef. physicorum Aristotelis ed. Ven. MCCCCXCVII. commemoratur, et in testimonium advocatur, eum operam haud segnem navavisse, ut Aristotelis volumina in manus hominum prodirent emendatissima. Videtur is idem fuisse cum JUSTINO DECADYO, ad quem extat epistola Graeca Hermolai Barbari, una cum alia ejusdem Graeca ad ANT. PYROPYLUM medicum philosophumque nescio quem, sed, ni fallor, etiam Corcyraeum.

JOANNIS GREGOROPULI Cretensis epigramma Graecum habetur in limine Etymologici ed. Ven. MDCXIX.

ALEXANDER AGATHEMERUS, cujus habetur epistola Graeca ante Aristotelis organon ab Aldo ed. MCCCCXCV. non Graecus fuit (quod facile credideris) sed idem cum Alexandro Bondino, velut patet ex Aldi praefatione.

NICO-

Nicolaus Petrus Corcyraeus, ut vir Latinis Graecisque literis eruditissimus et Venetiis agens commemoratur a L. Gaurico in praef. operum Almagesti Claudii Ptolemaei ed. Ven. mdxxviii. cujus opera interdum usus est in Graecis Ptolemaei cum Latinis conferendis.

Antonius Eparchus Corcyraeus, Venetiis Graecas literas professus est usque ad annum minimum mccccxlv, velut patet ex Gesneri bibliotheca; demum Corcyram ad suos regressus est, ubi in literis consenuit quo tempore Gyraldus dialogos suos De poetis sui temporis scripsit. M. Antonii Antimachi amicus fuit. Transtulit vero in Latinum sermonem (uti ipse Gesnero retulit) aliquot Polybii historiarum libros, nec Graece nec Latine tum temporis evulgatos.

Epistola ejus Graeca ad Dionysium Patr. Constantinopolitanum Venetiis scripta, servatur in Bibl. Vindobon. Ibidem quoque superest catalogus Graecus centum codicum MSS. Graecorum, quos idem Antonius venales olim ob paupertatem Venetiis obtulit. Titulus: " Volu- " mina ista Graeca sunt Venetiis apud Ant. " Eparchum, quae ille, vel simul omnia vel " singula, propter rerum penuriam venum ex- " ponit." In Theodosii Zygomalae epistola ad Martinum Crusium, quae extat in Crusii Turco-Graecia, mentio fit honorifica carminis Graeci plusquam ducentorum versuum elegiacorum, quo Ant. Eparchus luxit subjugationem et eversionem Graeciae per Turcas, ut et epistolarum ejusdem ad concordiam pertinentium ad Phil. Melanchthonem aliosque doctos et po-

tentes viros ſcriptorum. Fragmentum ex elegia petitum apud eundem Zygomalam videre eſt. Ab eo epiſtolae θαυμάσιαι dicuntur, i. e. *mira eruditione* ſive *elegantia* ſcriptae.

MATTHAEUS AVARIUS Corcyraeus, Jo. Laſcaris diſcipulus, vir bene literatus, et eruditus, cujus rei gratia card. Rodulphus eum inter chariſſimos familiares domi habuit, ut ait Gyraldus.

CONSTANTINUS Graecus inter familiares cardinalis Rodulphi una cum Avario habitus, ut commemorat idem. Utrum idem is fuerit cum Conſtantino Cypriota, cujus extat opus in bibliothecarum ſcriniis, viderint alii. Vid. Simlerum.

HERMODORUS ZACYNTHIUS, Jo. Laſcaris alumnus, Franciſci Porti diſcipulus, qui cum utramque linguam belle profeſſus fuiſſet, aulae pertaeſus in patriam reverſus eſt, quo ſcil. tempore dialogos ſuos De poetis ſcripſit Gyraldus. Utrum unquam rediit, ut eſt pollicitus, ignoro. Extat illius ad Gul. Budaeum epiſtola Graeca ; ad finem ſcil. Budaei epiſtolarum Graecarum.

GEORGIUS BALSAMO, et ipſe Graecus, qui diutius inter familiares card. Salviati uſque ad interitum vixit, cujus et carmina et ſoluta oratione quaedam legebantur, commemoratur a [m] Gyraldo.

Ab eodem Graecis in Italia ſuo tempore florentibus accenſetur " NICOLAUS NESIOTA

[m] De poetis ſui temp. dial. 2.

Chius,

" Chius, qui his (inquit) diebus in Italia ver-
" ſatur ad capeſſendas cum Graecis literas La-
" tinas, et philoſophiam, qui utinam ſe pium
" magis ac religioſum, quam facit, omnibus
" oſtentaret."

JACOBI DIASSORINI Rhodii carmen Graecum encomiaſticum ad Reginaldum Polum card. extat MS. in bibl. ° Bodl.

ALEXANDER JUSTINIANUS, genere Venetus, natu Chius, patre Sylveſtro, qui, ut ipſe teſtatur, Graecas literas cum ipſo pene lacte nutricis hauſit, et ab ineunte aetate cum Latinis ſemper conjunxit, Latine vertit, edititque Ven. MDLX. Jo. Philoponi comm. in Ariſtotelis duos priores analyticos libros; emendato mille locis exemplari Graeco manuſcripti codicis ope.

A Gyraldo Graecis eruditis accenſetur etiam ALBERICUS SALENTINUS in Italiae Magna Graecia natus, qui non contentus literis Latinis in Graeciam enavigavit, ut eas in nativo coelo perdiſceret, quarum probe inſtitutus rediit in Italiam, et, cum ſcripſit Gyraldus, ut philoſophiam et medicinam Graece et Latine percalleret, Ferrariae verſatus eſt.

De adoleſcentum Graecorum gymnaſio Leone X. Romae inſtituto, diximus ſupra in Jo. Laſcari. Periiſſe videtur gymnaſium illud una cum ipſo Leone, h. e. an. MDXXI. A Gregorio de-

° In vol. Langbain 2. p. 125, 6, 7.

mum XIII. an. MDLXXXI. constitutum est Romae collegium Graecorum, quod multos peperit eruditione scriptisque insignes viros, ecclesiae Romanae adversus Graecam adjutores. De quibus hic agere non est consilium. Adi Allatium De eccles. occid. et orient. lib. 3. cap. 8. Etiamnum floret, sed languidius alumnorum numero longe minori, quippe a numero LXV. ad XVIII. etiam ipsius Allatii aetate ante annos hosce LX. depressum.

INDEX.

I N D E X.

Jacobi

Stephani

L

M

R

S

I N D E X.

F I N I S.